UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Virtutis Solidæ Præcipua Impedimenta, Subsidia, Et Incitamenta

Commentationibus Illustrata, Omnium Usui Aptatis. Quæ Servire Insuper Poterunt Pro Argumento Concionum: Uti Et Considerationum Tempore Exercitiorum; præsertim verò pro gemino sacræ collectionis triduo; prout ex subjectis hunc in finem elenchis patet. [...] Partes Tres

Impedimenta

Bellecius, Aloysius

Ratisbonae [u.a.], 1755

Pars I. De Præcipuis Impedimentis Solidæ Virtutis.

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-55524

Visual Library

VIRTUTIS SOLIDÆ PRÆCIPUA IMPEDIMENTA, SUBSIDIA, ET INCITAMENTA.

HUic lucubrationi argumentum suppeditavit gravissima illa Constitutio S. P. Ignatii, qua cupit, ut *omnes in virtutum solidarum & perfectarum studium incumbamus*, (a) morem gerendo repetitis illis Divinæ Paginæ monitis: *estote perfecti.* (b) *sancti estote.* (c) *hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.* (d)

(a) Instituti parte 10. §. 2. (b) Matth. 5. v. 48.
(c) Levit. 11. v. 44. (d) 1. Thessal. 4. v. 3.

Eſt autem virtus ſolida habitus animi ſupernus, multo uſu firmatus, voluntatem inclinans ad actus ejusdem ordinis conſtanter, promptè, ferventer & puro ex fine eliciendos. Hunc ergo ut menti inſeramus, præſenti opere laborabimus. Prima ejus parte amovebimus IMPEDIMENTA ſolidæ virtutis. Altera afferemus ADJUMENTA ſolidandæ virtutis. Ultima denique perpendemus ejus perficiendæ INCITAMENTA. Prima pars reſpondebit viæ, ùt ajunt, purgativæ: ſecunda illuminativæ: tertia unitivæ; utì ex ſubjecta cuilibet parti concluſione patebit.

Porro ſex præcipuè ſunt ſolidæ virtutis IMPEDIMENTA, nempe peccatum veniale, tepor animæ, abuſus gratiæ, dominans menti affectio, reſpectus humanus, & ſomniculoſa in manè ſurgendo pigritia. His ſena opponentur illius ſolidandæ ADJUMENTA, ſcilicet actionum quotidianarum accuratio, fervens oratio, mentis collectio, Euchariſtiæ ardens ſuſceptio, examinis particularis conſtans uſus, utì & ſacer

ſal-

ſaltem ad triduum ſeceſſus. INCITAMENTA ejus perficiendæ pariter bis terna afferentur, videlicet fides æternarum hac de re veritatum, timor malorum aliàs incurrendorum, ſpes bonorum per illam obtinendorum, amor Dei hanc ſoliditatem à nobis exigentis, & merentis, ſolidè piorum felicitas, ac denique perſeverantium corona.

Et licèt adhuc alia numerentur perfectionis obſtacula, ſubſidia & invitamenta; tamen hæc ſeligere placuit, tum quia non niſi de præcipuis agere conſtitui; (hæc autem potiora eſſe videbantur) tum quia ad iſta veluti ad fontes primaria Aſceſeos capita revocari poſſe exiſtimavi; cùm ſub tenui cortice omnem Theologiæ, ùt vocant, Aſceticæ medullam contineant.

PARS I.

VIRTUTIS SOLIDÆ PRÆCIPUA IMPEDIMENTA.

Cùm fructus ex his pagellis colligendus ſit ſerium, & conſtans ſtudium comparandæ virtutis ſolidæ, prima ſtatim parte præcipua ejus IMPEDIMENTA erunt amovenda; his enim non ſublatis actum agitur; præfixus finis nunquam obtinebitur. Aviculæ ſimiles erimus caveæ funiculo alligatæ, quæ vano niſu in altum avolare conatur.

Porro has inter remoras principem facilè locum obtinent peccatum veniale, tepor animi, gratiarum abuſus, domi-

dominans menti affectio, respectus humanus, & somniculosa illa in manè surgendo inertia. Ista enim sunt illud gratiæ venenum, pernicies animæ, tinea meritorum, excidium perfectionis, queis stantibus de solida virtute desperandum est. Hæc ergo tam magna, tam potentia ac primaria profectûs obstacula ut ex animis nostris radicitus evellantur, primæ partis labor erit, quæ simul viæ, ùt ajunt, purgativæ congruet.

CAPUT I.

DE PECCATO VENIALI.

Cùm noxa lethalis probitatem penitus exſcindat, ſpiritum ſanctum omnino exterminet, ab ultimo fine noſtro, nempe à cælo & DEO, ad tartara nos rectà abducat; Verbô: cùm animæ peſtis, mors ac damnatio ſit, nimis honoratè â nobis ac leniter haberetur, ſi ſolùm ſanctimoniæ remoris accenſeretur. Proin prætermiſſa hac ſtygia malorum Lerna, utpote cujus monſtroſa turpitudo impietasque ſola ſui umbra exanimat pias mentes, à peccato veniali tractationem hanc auſpicari conſtitui, tanquam à primario (quæ Patrum mens eſt) perfectionis obſtaculo. Ad hujus verò fugam nos potenter incitabit ejus malitia attentè conſiderata 1. in ſe, 2. in ſuis effectibus, 3. in ſuis ſuppliciis.

§. I.

§. I.

De venialis peccati malitia considerata in se.

I. PEccatum veniale est magnum malum in se, quia (ùt divino admonitu cognovit (a) B. Catharina Genuensis) est pejus quid omnibus mundi malis collectim sumptis, ipsa etiam morte, ipso etiam orco. Id concordi sententia asserunt sancti Chrysostomus, (b) Anselmus, (c) Dorotheus, (d) Aquinas. (e) Quin imò ipse etiam Aristoteles solo lumine naturali illustratus, *melius est mori*, ait, *quàm facere aliquid contra bonum virtutis.* (f)

I. *Post lethale est malum in orbe maximum.*

Huic auctoritati convincens ratio suffragatur; nam (ùt docet S. Thomas)

(a) In ejus vita c. 27. ubi hæc: *fuit illi in spiritu demonstratum, multò intolerabiliorem esse Dei offensam quamlibet exiguissimam ipso Luciferi inferno.* His similia leguntur c. 12. & 14. ubi dicit: *Omnia alia hujus mundi tormenta nihil esse in comparatione talis offensæ.* (b) Hom. 5. ad Pop. (c) l. de Simil. c. 190. (d) Serm. 20. (e) 2. 2. q. 110. a. 3. ad 4. (f) l. 3. Ethic.

plus habet de ratione mali culpa, quàm pœna. (g) Ergo cùm calamitates hujus vitæ, nex ac inferorum ſupplicia non ſint niſi mulctæ reis infligendæ, Jure infertur, crimen etiam leve malignitatis amplius obtinere. Præcipuè cùm ſupremum Numen cruciatuum illorum creator ſit, eorumque cauſa (ùt ajunt) poſitiva exiſtat; delicti verò etiam minimi author eſſe, Divinitate id vetante, nullatenus queat. *Plus* igitur illud *de ratione mali habere neceſſe eſt;* cùm nec præ tartaro eligi poſſit.

Itaque ô Mortales! *auribus percipite, & audite vocem meam,* (verba ſunt Iſaiæ) *attendite, & audite eloquium meum.* (h) En! venialis quilibet nævus quid pejus eſt omnibus mundi malis collectim ſumptis, ipſa etiam morte, ipſo etiam orco. Inde jam quid concludam attendite. Ergo ſi maximas mundi miſerias unico tali errato impedire: aut ſi ſumma orbi commoda unica ejusmodi noxa procurare poſſem, illam patrare non liceret. *O quis mihi det,* ut

(g) 1. p. q. 48. a. 6. (h) Iſa. 28. v. 23.

ut hæc ſenſa *celte ſculpantur in ſilice* cordis tui, quicunque *bibis quaſi aquam* ejusmodi *iniquitatem* ! (i)

O Chriſtiane ! ſi mendaciunculo omnia bella, fames, incendia, eluviones, morbos & peſtes avertere : ſi omnes animi ærumnas, famæ diſpendia, urbium calamitates, familiarum diſſidia â genere humano arcere : ſi inferendas ab Antichriſto vexationes propulſare, & ſuccenſos â Divina Nemeſi altero in orbe rogos extinguere poſſes, nefas foret vel ſemel mentiri. Quin imò ſi levi iracundia omnes hæreticos, Turcas & Gentiles ad fidem convertere : ſi omnes damnatos ex inferis, omnes animas ex purgantibus flammis eximere : ſi omnes, qui modò vitam colunt, & terram adhuc incolent, mortales æternæ ſalutis ſecuros reddere poſſes, tamen nec leviter iraſci liceret. Ita eſt : non liceret. Id teſtantur, ac unanimi conſenſu affirmant omnes Eccleſiæ Patres, Theologi & Aſcetæ.

Unde

(i) Job. 19. v. 24. & cap. 15. v. 16.

Unde ſequitur, melius eſſe totum hoc univerſum ſub finem mundi deciduo cœlis igne vaſtari, omnium regionum urbes conjurata ruina ſus deque verti, denique reprobos ultricibus flammis per totam æternitatem cruciari, quàm unicam â nobis etiam leviorem culpam admitti. Et hoc certum eſt: dogma fidei eſt, de quo vel dubitare impium eſt. Nam omnia hæc non niſi nobis mala ſunt; peccatum verò, etiam veniale, malum DEI eſt, quo is læditur, & contriſtatur. (1) Quantum ergo diſtat Creator â re creata, tantum malitia hujus ſuperat malignitatem alterius. Longè enim minus quid eſt res condita collata Conditori, quàm muſca comparata homini. Ergo ſicut minus malum eſt muſcam occidi, quàm ab ea hominem moleſtiâ affici; ita quoque longè ſatius eſt, omnes procreatas res uno junctim exitio interire, quàm ſupremam DEI Majeſtatem tenui offenſa violari.

Et

(1) Cornel. à Lapide & Salmeron Diſp. 11. in illum textum Eph. 4. v. 30. *Nolite contriſtare Spiritum Sanctum.*

Et tamen . . . *obstupescite cœli super hoc!* (m) & tamen reperire est . . . heu! horrore attonita, elinguis hæret vox . . . reperire, inquam, est non paucos, fors etiam Religiosos, qui usurpare audent tritum illud: est solùm leve quid: non est nisi veniale. Vah! temerarias voces! Ah! nubes lucidæ sancta metamorphosi æreas in laminas vos condensate, ne impius earum sonus ad vindices stellas penetret.

Quid enim? ô viles vermiculi! ergóne exiguum id malum sit, quod universi ruina & tartarorum pœnis quid pejus est? quo infidelium conversionem, damnatorum liberationem, vivorúmque salutem licitari haud licet? Ergóne id leve quid sit, quod universi excidio quid gravius est? Ubi quæso mens nostra, ubi ratio est? O quàm aliud de hujus portenti gravitate olim moribundi judicium feremus!

II. Tanta minori etiam delicto malicia inest, tanto illud odio Dei Sanctitas

II. *Deus incredibili*

(m) Jerem. 2. v. 12.

illud odio aversatur.

tas execratur, ut si in Augustissima Ejus Matre, aut dilectissimo hujus Filio vel unicum appareret, mox illa imò & Natura humana Christi, soluta unione hypostatica, ab irata Divinitate è vestigio cœlis exturbarentur, & excusso fulmine in piaculares rogos præcipitarentur, tamdiu lustricis ignibus cruciandi, donec illam maculam expurgâssent. Nam (quod Spiritûs Sancti oraculum est) *non intrabit in eam* (nempe cœlestem gloriam) *aliquod coinquinatum.* (n) Ergo nec maculatum quid ibi vel momento subsistere poterit. Eadem enim Numinis Sanctitudo, quæ huic pesti ad cælos aditum, eidem quoque omnem inibi moram irrevocabili interdicto vetat.

Jam verò hîc subsiste ô levium contemptor audax! ac attentiùs perpende, quis . . . quem . . . propter quid . . . tam terribili supplicio affecturus esset? nempe Pater æternus . . . . Filium unigenam . . . . & ambo Deiparam . . . . ob unicam non nisi tenuem

(n) Apoc. 21. v. 27.

nuem noxam. Inde jam collige, quàm horrenda ergo hujus portenti malignitas ſit, oportet; cùm tanto illud odio Pater in Filio, Filius in Matre, idque in tali Filio, talique Matre averſetur, damnet, & execretur; & quidem tam æquus rerum arbiter, ipſa amoris ſedes, & clementiæ thronus execretur. O peccatum veniale! heu! quàm abominandum es monſtrum in oculis Divinæ Majeſtatis!

Et hinc Beati in cœlo, data optione, libentiùs ſuis é thronis in inferorum carcerem deſilirent, nunquam illuc redituri, quàm ut unico ejusmodi nævo ſe contaminent. Imò felicitati ſibi ducerent, ſi ſua in orcum amandatione unicum ejusmodi piaculum impedire poſſent. Et juré id quidem; majori enim injuria (ùt graves (o) Theologi cenſent.) Deum afficit unica ejusmodi labes, quàm omnium ſimul

(o) Petrus de Soto Libro de inſtitutione Sacerdotum Lectione 18. de pœnitentia. Cujus Sententiam ſequuntur multi Recentiores teſte Lugone de Incarn. Diſp. 5. Sect. 7. n. 122.

ſimul electorum æternæ laudes eundem honorent.

Hìc ergo jam adeſte, quicunque veniale per riſum admittitis, hancque veritatem non populari trutina, ſed *pondere Sanctuarii* (p) librate. En! tale DEus, Chriſtus, Beati de hujus delicti gravitate judicium ferunt, quod vos ùt leviuſculum quid temerario deſpicatu exploditis. O ſidera! ſola hujus culpæ memoria exanimantur Sancti: ſolo ejus aſpectu conterrentur Angeli: ſola illius umbra terrefit cœlorum Regina; & tamen hac audet vilis argilla Sacroſanctam Trinitatem quavis hora petulanter laceſſere, & veluti rem nauci protervo contemptu exſibilare.

O Superi! ergóne poſſibile eſt, ut ſolus homo minutum quid putet, quod omnis lingua cœleſtium poſt lethale maximum in orbe malum eſſe uno ore profitetur? ergóne fieri poteſt, ut Religioſus id nihili faciat, de

(p) Levit. 5. v. 15.

de quo tamen Divinus Judex tam ſeveram olim rationem exiget? O cæci Mortales! Ah! nihil leve eſt, quo ſumma læditur Majeſtas: nihil exiguum, quod ſumma reprobat Sanctitas.

III. Verùm ut tantæ improbitatis abyſſus, immiſſis ſolaribus radiis, clariùs pateat, finge, centum milliones animarum, in ſtatu puræ naturæ conſtitutos, ter mille annorum ſpatio immania tormenta inſigni conſtantia patientiſſimè tolerare, ac inſuper innumeros naturales virtutum actus, eosque intenſiſſimos continenter exercere hunc ſolummodo ob finem, ut iratæ Nemeſi pro unico tali errato condignum exſolvant litrum. Et en! fruſtra ſunt: nihil hæc omnia poſſunt: omnes hi cruciatus & opera merè naturalia, utut optima, teſte S. Thoma & Suario (q) minimè ſufficiunt expiandæ ex æquo vel unicæ ejusmodi offenſæ.

III. *Nulla pura creatura illud condigna ſatisfactione expiare poteſt.*

(q) S. Thomas 3. p. q. 87. a. 3. ad 3. Suarez Tom. 1. in 3. p. Diſp. 4. Sect. 9. §. prima ergo ſententia. Quam communiſſimam eſſe dicit Viva de pœnitentia. Part. 8. Diſp. 2. Quæſt. 6. a. 1. n. 1.

Quin imò finge, cunctos Cœlites Divinæ Justitiæ throno supplici gestu advolvi, ut Eidem pro unico, à te patrato, minori piaculo æquali expiatione satisfaciant. Finge, Seraphinos suum amorem, Patriarchas suam fidem, Prophetas suam fortitudinem, Apostolos suas prædicationes, Martyres sanguinem, Virgines castimoniam, Episcopos zelum, Confessores pœnitentiam, denique Matrem Dei omnem suam sanctitatem læsæ Divinitati appendere ideo solùm, ut commissum â te tenuem nævum æquata purgatione deleant. Et en! incassum sunt omnia: irritus omnis labor est & conatus. Nam (ùt docet (r) purpuratum Ecclesiæ sidus) nemo etiam justus, & gratia superna instructus, peccatum veniale *alienum* condigna placatione diluere

(r) Lugo de incarn. Disp. 5 Sect. 8. n. 154. *Ejus ratio est, quia de facto Deus non remittit culpam etiam venialem, nisi per aliquem gradum gratiæ sanctificantis, quem ei infundit. Cùm autem purus homo non possit de facto acquirere alteri de condigno gratiam sanctificantem, neque potest satisfacere de condigno pro culpa veniali alterius. ita Lugo.*

luere valet. (s) Imò nec proprium poſſe acriter tuetur Soto cum aliis. (t)

Hìc animi vires jam collige, quicunque ejusmodi maculis ſordes, ac verborum vim ſenſumque perpende. En! tuum hoc, quod ridens effutis, mendacium: tua hæc, qua leviter excandeſcis, iracundia: tuus hic, quo orans langueſcis, tepor tantæ impietatis ac nequitiæ monſtrum eſt, ut nec illo cœleſti Seraphinorum Triſagio æternùm continuando, (u) nec illorum viginti quatuor Seniorum ſempiternis laudibus, (x) nec per illa, *quæ ſanctorum orationes ſunt, odoramenta in phialis aureis perpetuò offerenda*, (y) pari ſatisdatione aboleri poſſit. Adeò virulenta in ſe, terribilis & execranda peſtis eſt etiam tenuis offenſio Numinis.

(s) Lugo loc. cit. (t) Soto loco ſuperiùs cit. cujus ſententiam ſequuntur multi Recentiores teſte Lugone de incarn. Diſp. 5. Sect. 7. n. 122. (u) Iſaiæ 6. v. 3. (x) Apoc. 4. v. 10. (y) Apoc. 4. v. 5.

Hanc veritatem ipſe Deus Pater Beatam Catharinam Senenſem docuit (utì legere eſt in ejus dialogis) addens, etiam huic peccato nequitiam quodammodo infinitam ineſſe; quia infinitum offendit Bonum. Hos autem dialogorum libros *cœleſtem doctrinam divinitus infuſam* continere, declarârunt gemini Pontifices Chriſtique Vicarii Pius II. (z) & Urbanus VIII. (aa) Ipſa primæ Trinitatis Perſonæ verba hìc retuliſſe, operæ pretium erit; cùm magnum dictis pondus addant; ſunt autem hæc: *an ignoras filia mea, quod omnes pœnæ, quas anima ſuſtinet, vel ſuſtinere poteſt in præſentì ſeculo, nullo modo condignæ ſint ad culpam etiam minimam rite puniendam, vel expiandam? quoniam offenſa, quæ mihi fit, qui ſum Bonum infinitum, procul dubio ſatisfactionem exigit infinitam.* (bb) Omnia autem juſtorum, utì & Beatorum obſequia finita ſolummodo ſunt ac circumſcripti valoris. Ergo *non ſunt*

(z) In Bulla Ejusdem Canonizationis. (aa) In Ejus officio divino lectione ſexta. (bb) Lancicius opusc. Spirit. *16.* c. *3.*

ſunt condigna, ad labem etiam leviſſimam ex æquo delendam.

O impiam igitur cæcitatem noſtram! quibus hæc noxa tamen parvi momenti quid eſt; licèt ſecundùm probabilem Theologorum ſententiam (cc) infinitate quadam malitiæ ſcateat, quæ nulla expiatione creata condignè abſtergi poſſit.

IV. *Etiam eſt cauſa cruciatuum, & mortis Chriſti.*

IV. Præterea minuta hæc piacula ſunt etiam cauſa cruciatuum ac mortis Chriſti. O *Angeli pacis* denuo *amarè flete*, (dd) & iteratis gemitibus Divino funeri parentate. O peccator! audi! & contremiſce. En! tua hæc, quæ ùt minuta ſpernis, piacula ſunt etiam cauſa cruciatuum & mortis Chriſti. Nam (ùt ſacræ paginæ perhibent) *ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras* etiam leves: *attritus eſt propter ſcelera noſtra* etiam minora: (ee) *mortuus eſt pro peccatis noſtris* etiam venia-

(cc) Lanc. l. c. ubi id citatis pluribus Auctoribus tum Antiquioribus, tum Recentioribus ex inſtituto fusè probat. (dd) Iſa. 33. v. 7. (ee) Iſa. 53. v. 5. & 6.

libus; (ff) cùm pro his quoque æterno Patri per acerbam necem ſuam abundanti ſolutione ſatisfecerit.

Ita eſt ô peccattix anima! *vulneratus eſt* Agnus ille immaculatus etiam propter illas tuas locutiones vanas, mendaces, otioſas. *Attritus eſt* etiam propter illam tuam irreverentem, tepidam, diſtractámque orationem. *Cum ſceleratis reputatus eſt* (gg) etiam propter illas tuas vanitates, invidias, detractiones, ſuperbias & æmulationes. Verbô: *pertulit in corpore ſuo* (hh) pœnas criminibus tuis etiam leviuſculis debitas.

Quoties igitur (heu! concuſſa tremant fundamenta terræ!) quoties, inquam, licèt leviter ſolùm peccâſti, toties poſuiſti id, quod aliqua ex parte fuit cauſa dolorum ac vulnerum Chriſti. Toties patrâſti illud delictum, quod eundem unà cum lethalibus erratis funibus vinxit, catenis oneravit, flagel-

(ff) 1. Cor. 15. v. 4. (gg) Iſa. 53. v. 12.
(hh) 1. Petr. 2. v. 24.

flagellis diſcerpſit, ſpinis cruentavit, ac denique ſacrilega tyrannide in furcam egit. Age jam, ad hæc quæ tibi mens? . . . ô infelix! hæc audis, nec tamen peccatum hoc execraris? audita etiam credis, nec tamen pectus tibi præ mæroris vehementia in fruſta diſſilit? O utinam modò cor ſaxeum tibi foret, ut pariter medium cum illis Solymæ petris diffinderetur!

At nondum hìc ſiſtit hujus vitii improbitas; necdum quieſcit ejus Divino ſanguine ingurgitatus furor; cùm illa feralis tragædia, cujus cauſa olim *obſcuratus eſt ſol, monumenta aperta ſunt, & velum templi ſciſſum eſt*, (ii) noſtro etiam tempore, repetita rabie, inſtauretur. Nam ſicut Salvator noſter, docente Gentium Doctore Paulo, (ll) per lethale crimen cruci denuo affigitur, ita ex mente SS. Patrum per veniale rurſum conſpuitur, vellicatur, illuditur.

(ii) Luc. 23. v. 45. & Matth. 27. v. 52.
(ll) Hebr. 6. v. 6.

O rem deteſtandam, ac vel auditu terrificam! Ah! Divinus Servator per veniale rurſum conſpuitur, vellicatur, illuditur. Id aſſerunt Eccleſiæ Patres. Et auſit humana temeritas ejusmodi culpam leve quid dicere? O Cœlites! ergóne leve quid ſit, venerandam Chriſti faciem ſputis fœdare, colaphis cædere, crinibus vellere? O mi JESU! ergóne tibi inſultare, probra ingerere, oſtentui te habere, parum quid, imò nihil ſit? & hoc Chriſtianis? . . . O fulmina! quæ manus vos, quæ nubes morantur?

O *Filii hominum mendaces in ſtateris*, (mm) *qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras;* (nn) ùt quid ô miſeri! *ùt quid diligitis*, imò *& quæritis mendacium?* (oo) Ah! tandem aliquando tot oraculis fidem habete, uno ore enunciantibus, magnum in ſe, & ingens omnino malum eſſe piaculum etiam parvum, quod tamen non rarò

(*ô portæ*

(mm) Pſal. 61. v. 10. (nn) Iſa. 5. v. 20. (oo) Pſal. 4. v. 3.

(*ô portæ cœli desolamini vehementer!*) (pp) quod, inquam, non rarò etiam Religiosi, quin & Sacerdotes sine horrore, sine metu, joci causa ridentes perpetrant. At *væ! qui trahitis iniquitatem* hanc *in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum* leve. (qq) Væ vobis! quia vindex ultio *veniens veniet, & non tardabit.* (rr)

O Domine! *exitus aquarum deducant oculi mei,* (ss) ùt jugi dolore defleam, quæ *super capillos capitis* (tt) accumulavi delicta. *Peccavi! & malum, malum grande* (uu) nimis, etiam venialiter peccando *coram te feci.* (xx) Sed doleo, & intimo corde doleo ob solum tui amorem . . . Territus enormi gravitate hujus culpæ, stat animum ea haud ampliùs saltem pleno cum assensu contaminare. *Vivit DEUS, in cujus conspectu sto; quia donec superest halitus in me, & Spiritus DEI in naribus meis, non loquentur la-*

(pp) Jerem. 2. v. 12. (qq.) Isa. 5. v. 18.
(rr) Habac. 2. v. 3. (ss) Jerem. 9. v. 1.
(tt) Psal. 118. v. 136. (uu) Ezech. 16. v. 10.
(xx) Psal, 50. v. 6.

bia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium. (yy) Potiùs omnia perdam bona, & feram mala, quàm ut denuo etiam leviter *delinquam in animam meam.* (zz) Verùm cùm ex me nihil possim, nisi peccare, & perire, *confirma hoc DEUS, quod operatus es in me;* (aaa) *& quod dedisti velle, da & perficere.* (bbb)

§. II.

Malitia peccati venialis considerata in suis sequelis.

I. *Actus virtutum corrumpit.*

I. MAgnum præterea malum est ejusmodi culpa in suis effectibus. Nam inprimis peccata venialia actus virtutum corrumpunt, dum eos venenata aspergine ita inficiunt, ut illis (quæ plurium Theologorum concors opinio est) superni ordinis celsitate dejectis, cœlestem vim omnem merendi adimant penitus, auferantque; cùm sint illæ *muscæ morientes*, quæ teste Eccle-

(yy) Job. 27. v. 3. & seq. (zz) Eccli. 19. v. 4. (aaa) Psal. 67. v. 29. (bbb) August. Serm. 256. de tempore.

Ecclesiaste *perdunt suavitatem unguenti.* (a)

Primum huic asserto fundamentum præbet illa Christi admonitio Matthæi 6. v. 1. dicentis: *attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud patrem, qui in cœlis est.* Quibus verbis Divinus Magister apertè insinuat, justitiam ex vana gloria exercitam carere æterna mercede. Cùm autem inanis ejusmodi gloriola leve solummodo piaculum sit, (b) jure infertur: ergo actus tali noxa infectus omni merito præmioque funditus exuitur, privaturque, ita quidem, ut testante Hieronymo, *martyrium ipsum, si ideo fiat, ut admirationem & laudem à fratribus habeamus, frustra sanguis effusus sit.* (c)

Idem

(a) Eccles. 10. v. 1. (b) Quod ibi Christus loquatur de vana gloria solùm leviter culpabili docet S. Thomas 2. 2. *q.* 132 *a* 3. *ad* 1. item Tournely tract. de act. hum. cap. 6. sect. 2. Concl. 1. ubi is insuper docet, circumstantiam finis venialiter mali totum virtutis actum penitus corrumpere. (c) In cap. 1. Epist. ad Galat.

Idem expresè docet Theologorum phœbus Aquinas, *2. 2. q. 132. a. 3. ad. 1.* ita differens: *opus virtuosum amittit vim merendi vitam æternam, si propter inanem gloriam fiat, etiamsi illa inanis gloria non sit peccatum mortale.* Quam eandem doctrinam *in 2. dist. 38. q. 1. a. 4.* tradit, *cùm aliquis*, inquiens, *vult dare eleemosynam propter inanem gloriam, hic est unus actus voluntatis, & hic actus totus est malus, licèt non ab omni eo, quod in eo est, malitiam habeat.*

Adeoque licèt ejusmodi actio *non ab omni eo, quod in ea est, malitiam habeat;* id est, licèt adhuc bona sit secundùm quid; (ùt scholæ loquuntur) tamen quia non est bona simpliciter & secundùm omnia rerum adjuncta, ex mente S. Doctoris non est meritoria cœlestis gratiæ nec felicitatis æternæ. Quod enim ejusmodi trunca bonitas minimè sufficiat ad superam merendi vim; sed quod actus ex omnibus & singulis, quæ confluunt, circumstantiis bonus esse oporteat, post Angelicum docent gravissimi Theologi.

gi. (d) Et ex his abunde constat, venialem nævum omnem virtutis actum, communicata lue, penitus inficere, perdereque; seque habere instar fermenti, quod totam, cui injicitur, farinæ massam corrumpit.

Proin ô bone! licèt mysticæ contemplationi assiduè intentus viveres, summas opes in egenos profunderes, corpus variis cruciatibus emaciares. licèt morum modestia angelum, concionandi ardore Seraphinum, in sacro tribunali charitate Samaritanum vinceres, ac heroica indentidem patientiæ, demissionis & obedientiæ facinora patrares; nihilominus ista, si vel modica veniali labe fuerint infecta; si in

(d) S. Thom. 2. 2. q. 110. a 3. in C. ubi sic: *quia ad hoc quod aliquid sit bonum, requiritur, quod omnia rectè concurrant. Bonum enim est ex integra causa; malum verò est ex singularibus defectibus, ùt dicit Dionysius cap. 4. de divinis nominibus.* Item 1. 2. q. 89. a. 1. ait: *peccatum veniale impedit actus virtutum.* Gonet. Disp. 4. a. 1. Rhodes Disp. 4. sect. 3. §. 2. Antoine tract. de act. hum. c. 3. a 3. Gervasius Brisacensis part. 3. tract. 1. de act. hum. Disp. 2. q. 1. a 3. Lancicius opuscul. 16. N. 73. Sylvester & alii; contra Lugonem.

in ea amor proprius, commoditatis ſtudium, aut vana mentis gloriola ſubdolo pede vel tantillum irrepſerit, actum eſt de eorum pretio ac dignitate. Mox omnes hi actus degeneri germine ex virtutibus, quæ eſſe potuiſſent, in vitia turpiter abeunt, non niſi caſtigatione digna. Et quamvìs puriſſimam intentionem tuis operibus tempore matutino præmiſiſſes, hacque induſtria ipſum etiam reſiduæ diei plumbum providè inaurâſſes; ſi tamen poſtea vel unicus talis interceſſerit nævus, mox reliqua omnia, abrupto protinus filo, præmio vacua erunt, & inania omnino, ac caſſa vileſcent.

Nam (ùt bene docet S. Chryſoſtomus) *nil poteſt ſimul eſſe meritum & delictum;* (e) útque *actio ſit mala* (verba ſunt Aquinatis) *ſufficit, ut aliquid deſit; cùm bonum ſit ex integra cauſa.* (f) Quid autem illi actioni non deerit, quæ tali macula ſordet? Unde ſequitur, ejusmodi corruptos pietatis actus nec

(e) Hom. 30. ad pop. (f) 1. 2. q. 18. a. 3. ad 3. Item 2. 2. q. 110. a 3. C.

nec meritorios esse nec supernos; cùm veniale, æmulando illum *vermem, qui percussit hederam Jonæ*, (g) ipsam pariter boni radicem asperso toxico enecet, corrodátque; ac *instar locustæ ac bruchi comedat omnem fructum*, (h) aliàs ex sanctioribus nostris operibus sub vitæ autumno decerpendum.

Jam age, ô anima! æquitatis tribunal conscende, & promeritam inde in reum, quem tibi sisto, sententiam pronuncia. En! servus hic tuus, infusa fellis gutta, plurimos mellis cados vitiavit: summi valoris monetam, immixta furtim scoria, adulteravit; suisque artibus ac dolis impedimento fuit, ne in singulos dies centum millia aureorum lucrareris. Edic: quid supplicii hunc meruisse jam censes? Vah! reus est mortis, exclamas, omnique odio ac execratione dignus. At ecce! offensa levis est ille prædo, qui tot gemmas ex tua cœlesti corona excussit: tot beatis æternitatibus te privavit, quot actus virtutum sua vafritie infecit, destruxit, ac depravavit. Et hunc

(g) Jon. 4. v. 6. (h) Ps. 104. v. 34.

hunc latronem odiſſe non queas? quin & amare, tueri, fovere poſſis? Apage tantam impietatem! potiùs decreto illi exilio, omnis ad mentem aditus ei æternùm â te ſit interdictus.

II. *Charitatis fervorem diminuit.*

II. Verùm his non contenta, plus ultra ſerpit levioris noxæ perverſitas; alia adhuc ſunt, quæ inducit, nocumenta. Nam non ſolùm corrumpit hæc peſtis ſupernos omnes probitatis actus, ac invida calliditate impedit augmentum omne meritorum; ſed inſuper (ùt nobis auctor eſt Angelicus Doctor) *diminuit fervorem charitatis*, (i) criticum in Dei ſervitio languorem inducendo, creandoque rerum æternarum inſolens faſtidium, quod tandem ipſi divino cordi nauſeam movet.

Et hinc B. Laurentius Juſtinianus monet, *ſervo DEI etiam parva eſſe vitanda delicta, ne charitas refrigeſcat*, (l) ac animum occupet lethalis torpor; cùm etiam Religioſi (ùt ait D. Anſelmus) *per modicarum contemptum culparum*

(i) 3. p. q. 79. a. 4. ad 1. (l) Vitæ cap. 2.

parum paulatim â fervore ſuo deficiant, (m) & in teporem prolabantur. Teporem autem dum nomino, heu! monſtrum nuncupo, quod tum ob malignitatem, qua ſcatet: tum ob damna, quæ gignit, venenata malorum Lerna jure appellatur.

In hanc verò nos ſenſim per minores quoque labes præcipitari, triſtis experientia aſſiduè docet. Nam animo concipe hominem, ejusmodi nævos temerè committentem; & en! omnia in ejus corde torpido languore marceſcent: fatiſcent opera pietatis, languebunt ſtudia virtutis, torpebunt exercitia voluntariæ afflictationis. Nihil arduum aggredietur mens, exiguus erit in cœptis conatus, & ſimilis conatui ſequetur effectus; nempe vel nullus vel admodum imperfectus. Non ſapiet niſi terrena, cœleſtia cum faſtidio audiet, tædium ſentiet in oratione, horrorem ab appetituum coërcitione, nauſeam in rerum ſpiritualium exercitatione. Contrà verò ad oppoſita his

(m) Lib. de ſimil. c. 122.

vitia, præcipuè ad carnis commoda, ſenſuumque illecebras toto pondere ferri ſe experietur. Quis ergo inficias ibit, per iſta charitatis fervorem diminui, attenuari, reſtingui?

Quis verò hujus nocumenti malignitatem ſat vivis coloribus adumbrabit? nam *diffuſa in cordibus noſtris charitas*, (n) ſeu immanens gratia tantæ excellentiæ bonum eſt, ut dignitate, pretio ac utilitate omnibus aliis ingenti intercapedine antecellat. Hujus autem teſte S. Thoma (ô natæ cœlis animæ ad damni, quæſo, gravitatem attendite!) hujus, inquam, tanti tamque eminentis boni *diminutio diſpoſitivè & indirectè fit per peccata venialia.* (o) Non quod per illa cæleſtis gratia (quam ſanctificantem vocant) ex anima ſtatim expellatur, aut quaſi ea gradatim imminuta decreſcat; ſed quia immiſſo in animum tepore ejus augmentum impediunt, útque etiam illa tandem perdatur, pedetentim disponunt; utì tradit Aquinas his verbis:

quam-

(n) Rom. 5. v. 5. (o) 2. 2. q. 24. a. 10. C.

quamquam charitas secundùm se ac directè nullatenus diminui possit; dispositivè tamen & indirectè per venialia peccata diminutionem admittit. (p) Licèt enim charitatis *lampades* cœlesti Sponso *sint lampades ignis atque flammarum;* (q) tamen si his venialium arenam copiosiùs injicias, sensim restingui eas, ac emori necesse est. Ad hæc autem quis non cohorrescat?

III. Imò, ùt docere pergit Theologorum Phœbus, hoc genus culparum *aliqualiter, etsi imperfectè separat hominem â DEO; quia per illas deordinatur voluntas hominis ob immoderatam conversionem ad bonum creatum.* (r) O verè sententiam terrore plenam! quid gravius, obsecro, quid aptius dici possit, ad incutiendum nobis hujus mali horrorem? O amans Numinis mens! en! noxa levis te non quidem penitus, aliquo tamen modo separat â DEO: te saltem aliquatenus abstrahit ab ejus paterno sinu, teque ex providis ejus bra-

III. *Aliquo modo separat animam à DEO, eámque turpiter fædat.*

(p) Ibidem. (q) Cant. 8. v. 6. (r) 3. p. q. 87. a. 1. C.

chiis aliqua minimùm ratione avellit, dimovétque; dum te indignum reddit illa ſingulari providentia ac amore benevolo, quo is mala avertit, bona immittit, & peculiari affectu curat, *ut juſtis omnia cooperentur in bonum.* (s)

Hoc autem ſcuto exuta, quid ages, ô miſera? Ah! hoſtium telis nuda patebis, & irruentibus undique tentationibus expoſita, in omnem caſum prona nutabis. Hujus quidem periculi magnitudinem & beneficii jacturam modò nihil admodum curas; quia triſtes illius ſequelas & hujus inæſtimabile pretium parum oppidò ponderas; ſed væ tibi! ſi id in altero primùm orbe docearis. Enimvero vel ſtupidus ſit, vel amens oportet, cui iſta hujus vitii odium non creant. Stupidus quidem, ſi tam immanium nocumentorum malitiam non agnoſcit; amens autem, ſi ea cognita tamen veniale non timet, fugit, horret.

Præcipuè cùm inſuper animam turpiter fædet, ac in oculis Divinæ Majeſtatis

(s) Rom. 8. v. 28.

jeſtatis valde deformem, fædam ac deteſtabilem reddat. Nam exigui etiam nævi â S. Baſilio *ſordibus comparantur, quæ animi ſplendorem exterminant, & nativo ejus decori officiunt.* (t) S. Auguſtinus eos appellat *ſcabiem, noſtrum decus ita exterminantem, ut ab illius ſponſi, qui ſpecioſus forma præ filiis hominum eſt, caſtiſſimis amplexibus ſeparent.* Cæſario Arelatenſi ſunt *puſtulæ, quæ quidem animam non occidunt; ſed eam tamen quaſi horrenda lepra repletam, ſummopere deformant.* (u) Bernardo Abbati *minima quælibet inobedientia turpis macula eſt.* (x) His ſimilia habent Gregorius Magnus, (y) Leo Papa, (z) aliiqúe Patrum. Ut proin triplici ære circa pectus is rigeat neceſſe eſt, quem iſta hujus monſtri horrore non complent; quiqúe non ultro fatetur, magnum id malum eſſe ob tam noxios, quos gignit, effectus.

Heu! maculæ, ſordes, puſtulæ, ſcabies hæc piacula ſunt, animam tetrum

(t) In cap. 4. Iſa. (u) Hom. 8. (x) Serm. de triplici cuſtodia. (y) In cap. 5. cant. (z) Serm. 4. quadrag.

in modum deturpantia; & tamen iis mentem pro re nauci omni ex parte commaculamus! O mortales! tam enorme etiam unicum eſt tale delictum, ut maluerit Catharina Genuenſis, ſe vivam in ſuccenſam fornacem conjicere: (aa) Anſelmus ſe in orcum demergere, (bb) Chryſoſtomus â Cacodæmone poſſideri, (cc) quàm vel unico ex illis minoribus erratis ſe contaminare, quæ nos in cordis penetralia, patenti porta, turmatim tam faciles admittimus.

O cœli! ex ſententia Patrum minus damnum eſt â dæmone nos inſideri, cor-

(aa) Vitæ cap. 12. ubi ſic loquitur: *certum habe, quod ſi quis cerneret, quàm enorme unum tantùm peccatum ſit, potius eligeret, anima, & corpore in ſuccenſa fornace vivus conſiſtere, quàm in ſe peccatum tolerare. Et ſi univerſum mare ignis eſſet, ad effugiendum peccatum ſe in medium ejus usque ad fundum demergeret, neque inde unquam prodiret, ſi ſciret, quod prodiens, peccatum eſſet in ſe conſpecturus.* (bb) V. de ſimil. n. 190. ubi ait: *Si hinc peccati pudorem, & illinc cernerem inferni horrorem, & neceſſariò uni illorum haberem immergi, priùs me in infernum immergerem, quàm peccatum in me committerem.* (cc) Hom. 28. in Ep. ad Rom. & Hom. 29. ad pop.

corpus diriſſimè cruciari, animam tartarorum incendiis torqueri, quàm eam veniali labe fædari. Et nos tamen has offenſiones arenæ inſtar in acervos accumulamus; nihil ſolliciti, ne tandem earum mole etiam miſeri opprimamur; licèt hic conſuetus ſit, isque terribiliſſimus, quem hæc peſtis procreat, effectus. Cùm ex mente Theologorum (dd) variis modis deducat ad lethalem noxam, adeóque ad inferos.

IV. *Ad lethalem noxam disponit.*

IV. O effectum terribilem! Audi ô peccator! quisquis hæc piacula ſuperbo riſu explodis; audi, inquam, effatum S. Thomæ Aquinatis, & contremiſce: homo, ait, *multoties peccando venialiter diſponetur ad peccatum mortale*,

(dd) Nempe 1. minuendo timorem DEI. 2. inducendo rerum Religioſarum neglectum. 3. impediendo peculiaria quædam gratiæ cœleſtis auxilia, quibus alioquin homo efficaciter â labe mortifera ſervatus fuiſſet. 4. Generando habitum, quo animus per iteratos in eadem materia minutos lapſus ſenſim inclinatur ad patranda etiam majora ejusdem ſpeciei delicta. Vide Tannerum 1. 2. Diſp. 4. q. 5. dub. 3. n. 55. & 56. Leſſium L. 13. de perfection. divin. c. 15. n. 23.

tale, (ee) quod ipsum S. Doctor eodem articulo quinquies repetit, & denuo alibi (ff) clarissimis inculcat verbis, duces secutus illustria orbis sidera Augustinum, (gg) Chrysostomum, (hh) Isidorum, (ii) Damascenum, (ll) & Gregorium magnum, (mm) concordi oratione idem asseverantes.

Itaque (heu! trepidate piæ mentes!) itaque ex mente sanctorum Ecclesiæ Doctorum, quin imò ipso etiam illo Divi-

(ee) 1. 2. q. 88. a. 3. C. (ff) 2. 2. q. 48. a. 7. ad 5. ubi ait: *Quamvis per peccatum veniale gratia non tollatur, per quam est hominis salus, disponit tamen ad mortale; & sic vergit in detrimentum salutis.* (gg) Serm. 28. de tempore. ubi: *dum homines negligenter despiciunt peccata sua, quæ parva sunt, crescentibus minutis peccatis, adduntur etiam crimina, quæ cumulum faciunt, & demergunt.* (hh) In cap. 1. Galat. ubi: *Quemadmodum in corporibus vulnera quæ homines neglexerunt, febres gignunt, & putrefactiones, ac mortem denique; itidem in animis, qui pusilla dissimulant, majora invitant.* (ii) Isidor. Hispalensis L. 2. sent. c. 19. *Contemptu minorum peccatorum majora committuntur.* (ll) C. 19. in vita Barlaam, & Josaphat, ubi: *Qui minima vitia, & peccata nihili pendunt, graviora sibi invehunt.* (mm) L. 31. mor. c. 9. al. 12. *In unoquoque lapsu à minimis semper incipitur, & succrescentibus defectibus ad graviora devenitur.*

Divini Spiritûs oraculo: *qui ſpernit modica, paulatim decidet*, veniale diſponit ad lethale. (nn) Enimvero cui hoc fulmen hujus mali horrorem non incutit, is ruinæ proximus eſt. Nemo repente fit peſſimus; quisquis damnatus eſt, is primò per leviora tanquam per gradus ad graviora, & inde ad tartara deſcendit. Verbô: damnatio æterna ſæpe ex unico minori nævo triſti ſerie dependet. Non quaſi ipſe ſtygis incendia mereretur; ſed quia deducit ad mortifera æternis ignibus digna.

Exemplo ſit S. Thereſia, quæ perpetuis cruciatibus addicta fuiſſet, niſi tenuem defectum vitâſſet. Licèt enim illa (utì ipſa de ſe ſcribit) *nullum unquam affectum habuerit ad ullum grave peccatum, & ab inhoneſtis naturaliter abhorruerit; & licèt nunquam à DEO fuerit ſeparata per culpam mortalem*; nihilominus *ob otioſas & lætas converſationes cum aliis immaturæ ætatis & virtutis* hominibus inſtitutas, *orans invenit*

(nn) Eccl. 19. v. 1.

se positam in inferno, ibique vidit locum, quem ei dæmones præparaverant, (oo) & quò pervenisset, nisi hunc errorem correxisset.

O Cœlites! tantilla labecula tam sanctam Virginem paulatim præcipitâsset in orcum! quid ergo agent tot alii nostri longè magis periculosi defectus? Quis ergo sibi ab ejusmodi maculis non timeat? O Religiose! fortè ex illa tua socordia in surgendo, ex illo tepore in orando, ex illa liberiori curiositate, aut lubrica familiaritate, ex illo respectu humano dependet tua perditio. Certè non minora hæc sunt ac illæ otiosæ collocutiones Divæ Theresiæ.

Nec dicas: fortassis non dependet beatitas mea ab exilibus ejusmodi rebus; nam fortassis dependet. Ergóne incerto eventui æternitatem, animam, cœlum expones? Profectò si S. Theresia sic argutata fuisset, miserè decepta æternùm periisset. Quod ergo S. There-

(oo) In ejus vita ab ipsamet conscripta c. 2. & 32. Item Lancicius opusc. 16. c. 4. n. 58. & seq.

Theresiæ accidisset, cur nobis evenire non possit? Væ ergo nobis! si pusillas labes contemnere pergamus. Nam fortè ex illo ipso delicto, quod modò ùt leviusculum spernimus, nostra pariter beatitudo dependet.

Vah! improvidam levitatem nostram! ut mortem caveamus, etiam ab iis abstinemus, quæ morbos creare solent. Et interim exigua piacula pleno haustu abligurimus; licèt per ea plano pede deducamur ad mortifera. Pudeat nos tandem aliquando, majorem gerere corporis, quàm animæ curam; ne admissum errorem etiam nos olim apud inferos deplorare cogamur. Proin timeamus, ac etiam venialia solicitudine summa fugiamus. Viperarum enim genimina sunt, quæ si crescere sinantur, animæ lethales ictus certò infligent.

Heu! *vita mea inferno appropinquavit; & nescivi!* (pp) Ad orci marginem per hæc minuta deductum jam-

jam

(pp) Ps. 87. v. 4. Item Ps. 72. v. 22.

jam afflaverat inde *ascendens fumus tormentorum;* (qq) & neglexi! Ah! nisi tu Domine! adjuvisses me, per illa leviora in gravia fors pridem lapsus, jam *habitarem cum igne devorante: cum ardoribus sempiternis.* (rr) Verùm *ô custos hominum!* (ss) qui *odisti iniquitatem* etiam tenuem, (tt) *operi manuum tuarum porrige dexteram*, (uu) & de *portis mortis* (xx) abstractum, *deduc me super semitas justitiæ*, (yy) ut ambulem in eis, declinando â malo etiam parvo. Ante januam cordis mei *colloca Cherubim*, habentem *flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam;* (zz) ne ad illud his *vulpibus parvulis, quæ demoliuntur* mentium *vineas*, (vv) ullus posthac accessus pateat.

§. III.

(qq) Apoc. 14. v. 12. (rr) Isa. 33. v. 14. (ss) Job. 7. v. 20. (tt) Ps. 44. v. 8. (uu) Job. 14. v. 15. (xx) Ps. 9. v. 15. (yy) Ps. 22. v. 3. (zz) Gen. 3. v. 24. (vv) Cant 2. v. 15.

§. III.

Malitia peccati venialis considerata in suis suppliciis.

1. DEnique peccatum veniale est malum magnum in suis, queis tum in hoc orbe, tum in altero mulctatur pœnis. Quàm severa castigatione vindex Numen hoc culpæ genus in hoc adhuc mundo punire consueverit, documento nobis est *dilectus DEO, & hominibus Moyses;* (a) ille, inquam, Moyses, *quocum loquebatur Dominus facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum:* (b) quem *similem fecit in gloria Sanctorum, glorificavit in conspectu Regum,* (c) *constituitque DEUM Pharaonis,* (d) & cui *similis propheta non surrexit ultrà in Israël.* (e) 1. *Queis tum in hoc orbe,*

Hic, inquam, *Principum Princeps & Sacerdotum Sacerdos Moyses,* (f) qui, ùt ait Ambrosius, *victor passionum omnium,* *nec*

(a) Eccl. 45. v. 1. (b) Exod. 33. v. 11. (c) Ecclesi. 45. v. 1. & seq. (d) Exod. 7. v. 1. (e) Deut. 10. v. 19. (f) Gregor. Nazianz. orat. 22.

nec ullis ſæculi captus illecebris, cœleſtis puritate converſationis ad DEI ſimilitudinem ſe perfectæ virtutis ubertate formaverat; (g) Hic (obſtupeſcite ô cæli!) ob levem diffidentiam, quam tamen non niſi venialem noxam fuiſſe Auctorum (h) plurimi graviſſimique teſtantur) ob levem, inquam, dubitationem & diffidentiam, qua *percutiens bis virga ſilicem* (i) teſte Auguſtino (l) timidus hæſitabat, an non forſitan ob ſcelera populi, promiſſa divinitus, aqua foret neganda? hic propterea . . . ah ſtupet lingua! ab irata Divinitatis Majeſtate audire debuit tremendum illud feralis ſententiæ fulmen: *Aſcende in montem Nebo, & morere in monte.* (m) *Non introduces hos populos in terram, quam dabo eis.* (n) *Videbis* quidem *terram;* at *non ingredieris in eam;* (o) ſed *junge-*

(g) Ambros. lib. 1. de Cain & Abel c. 22.
(h) Aug. Tom. 4. q. 53. in lib. Num. Abulenſis q. 5. & 14. in c. 20. Num. Bellarm. Serm. 5. de Juſt. Dei. Lorinus, Cornelius, Bonfrerius, Tyrinus in c. 20. Num. & plures alii citati à Lancicio opuſc. 16. c. 7. n. 121.
(i) Num. 20. v. 11.
(l) Q. 19. in Num.
(m) Deut. 32. v. 49.
(n) Num. 20. v. 10.
(o) Deut. 32. v. 52.

jungeris populis tuis. (p) *Ascenditque Moyses, & mortuus est ibi.* (q) Adeò nullam tonantis jussa ferebant moram.

O fatum triste! hìc jam *ulula abies, quia cecidit cedrus.* (r) Et quidem cecidit ipsa Numinis excisa manu, in confiniis promissæ regionis, oculis jamjam usurpans, totoque mentis affectu amplexans terram, ... ah terram! *lacte & melle manantem*: (s) terram tot votis optatam, tot annis quæsitam, tot laboribus ac ærumnis inventam; idque ob unicum, heu! unicum tamque exile piaculum. Et cecidit (quod stupendum!) inter plurima, quæ supplicium hoc aggravabant, rerum adjuncta.

Nam, ne Moyses iram Nemesis suis precibus mitigaret, DEUS, ne rogaret, vetuit, dicens ei: *nequaquam ultrà loquaris de hac re ad me:* (t) ne ille spe veniæ dolorem solaretur, immutabile

(p) Deut. 32. v. 50. (q) Deut. 34. v. 1. & 5. (r) Zach. 11. v. 2. (s) Deut. 6. v. 3. (t) Deut. 3. v. 26.

tabile Numen latam mortis ſententiam jurejurando firmavit: *juravit, ut non tranſirem Jordanem;* (u) utque vulnus exulceraretur, etiam æmulus nominabatur, qui ejus loco *terram Iſraëli ſorte diviſurus eſſet: non tu ingredieris illuc, ſed Joſue*, & quidem Joſue *Miniſter tuus, ipſe intrabit pro te.* (x) denique ad augendam mulctæ acerbitatem, *cacumen Phasgæ aſcendere, & oculos ad Occidentem, & ad Aquilonem, Auſtrúmque & Orientem circumferre* (y) jubetur cum dicto: *hæc eſt terra, pro qua juravi Abraham, Iſaac & Jacob: vidiſti eam oculis tuis, & non tranſibis ad illam.* (z) O graves profectò, quæ hoc funus circumſtant, animi plagæ! ô verba acerbo ſenſu pleniſſima! *vidiſti, & non tranſibis: non tu, ſed Joſue Miniſter tuus ipſe intrabit pro te.*

Ah! *ne, quæſo, indigneris Domine, ſi loquar ad te, cùm ſim pulvis & cinis.* (aa) En! ſervus hic tuus, quem ob tenuem

(u) Deut. 4. v. 21. (x) Deut. 1. v. 37. & 38. (y) Deut. 3. v. 27. (z) Deut. 34. v. 52. (aa) Gen. 18. v. 27. & 30.

tenuem adeò culpam tanta affligis pœna, eſt ille Moyſes, *qui negavit ſe eſſe filium Pharaonis, magìs eligens affligi cum populo DEI, quàm temporalis peccati habere jucunditatem:* (bb) qui *arripiens vitulum aureum combuſſit, & contrivit uſque ad pulverem:* (cc) *de cujus ſpiritu tuliſti, ut ſeptuaginta Rectoribus communicares.* (dd) Eſt ille Moyſes, *qui erat vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra,* (ee) quadraginta annorum ſpatio tres milliones hominum, & quidem duræ cervicis hominum, inſigni patientia ſuſtinens: qui calumniis laceſſitus, opprobriis irritatus, lapidibus appetitus, tamen læſam dignitatem non ſolùm non vindicavit, ſed inſuper pro rebellibus eo ardore interceſſit, ut exclamârit: *aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro, quem ſcripſiſti.* (ff) Eſt denique ille Moyſes, quem ipſe tu *ſervum tuum in omni domo tua fideliſſimum* vocâſti, (gg)

(bb) Hebr. 11. v. 24. (cc) Exod. 32. v. 20. (dd) Gregor. M. 2. part. Paſtoral. c. 5. Item Num. 11. v. 17. (ee) Num. 12. v. 3. (ff) Exod. 32. v. 32. (gg) Num. 12. v. 7.

& hic, ô *DEus clemens!* (hh) hic talis, tantúsque Propheta .... â Te, ... cujus miſericordiæ non eſt numerus, & bonitatis infinitus eſt theſaurus, ob unicam hanc offenſiunculam nullam veniæ gratiam, imò nec caſtigationis prolationem mereatur? ſolíne ergo illi non parcas, qui toties â te, ùt aliis parceres, impetravit? memento, quæſo, memento Domine manſuetudinis tuæ!

At fruſtra ſum: *juravit Dominus, & facti non pœnitebit eum.* (ii) Fixum eſt; his inſuper habitis, moriendum Moyſi, viro tot miraculis claro, tot meritis illuſtri, tot virtutibus prædito; moriendúmque ob modicum adeò nævum; & quidem in monte Nebo; unde triſtis, qui dolorem exaſperaret, proſpectus in ſubjectam promiſſionis terram patebat. Ut nempe poſteri ex ſupplicii magnitudine venialis offenſæ gravitatem metirentur.

Heu!

(hh) Jon. 4. v. 3. (ii) Pſ. 109. v. 4.

Heu! miſeros nos! *ſi hæc in viridi ligno, in arido quid fiet?* (ll) Si hæc Moyſi, & quidem ob unicum, eùmque tam parvum errorem, quid nobis eveniet? nobis? . . . qui tot, tamque maligna indies accumulamus delicta? O *Superi!* (exclamat Sanctus Baſilius) *cùm videam Moyſen ſummum illum veri DEI cultorem veniam deprecari, nec tamen conſequi; cùm videam huic poſt tot, tamque egregia facta nullam veniam dari, planè perſpicio, illam ſeveritatem Cœli, quam deſcribit Apoſtolus in ſua ad Romanos epiſtola, dicens: time: ſi enim Dominus naturalibus ramis non pepercit, time, ne fortè nec tibi parcat.* (mm) idque eò amplius time, cùm ultori DEO frequens ſit, in hoc mundi theatro ejusmodi tragædias orbi ſpectandas dare.

Fugacem ſolummodo mentis obtutum in obvias Syriæ plagas defige, & multiplex mortis ſcena mox lumina feriet. Hic enim videbis ſeptuaginta duo millia virorum peſte conſumpto-

(ll) Luc. 23. v. 31. (mm) Orat. 3. de peccato.

rum ; (nn) ibi quinquaginta millia Bethſamitarum repentina nece punitorum ; (oo) illic *omnes theſauros domûs DEI, & domûs regiæ, omnem Jeruſalem, & omnes fortes exercitûs, ipſum Regem cum matre, uxoribus & liberis in captivitatem de Jeruſalem in Babylonem* (pp) abduci cernes, abſtrahíque.

Jam verò in hos cadaverum cumulos, in illas Solymæ ruinas, in hæc captivorum agmina ſi oculi intendantur; ſi tot viduarum, ac pupillorum lacrymæ, & lamenta attendantur ; an non jure ſuſpicari quis poſſet, Hebræos denuo vel vitulos adorâſſe? vel rebelles contra Dominum murmurâſſe? aut iterata temeritate graviſſimas leges conculcâſſe? vel certè alia quæpiam gravioris notæ facinora perpetrâſſe, quêis cœleſtes iras adeò exaſperârint?

Et en! non niſi levis ſuperbia Davidis, vana oſtentatio Ezechiæ, præceps irreve-

(nn) 2. Reg. 24. v. 15. (oo) 1. Reg. 6. v. 19. (pp) 4. Reg. 24. v. 13. & 15.

irreverentia Bethſamitarum tot calamitatum, tantæque ſtragis unicus fons & origo fuit. Quæ tamen piacula ſolùm venialia fuiſſe Auctores communiùs antumant; (qq) *miſit* enim *Dominus peſtilentiam in Iſraël;* (rr) quia David juſſerat Joabum *numerare populum, ut ſciret numerum ejus.* (ss) *Bethſamitas percuſſit, eó quòd vidiſſent arcam Domini,* (tt) eámque curioſiùs inſpexiſſent. *Ablata* denique *ſunt omnia, quæ erant in domo Regis, & non remanſit quidquam;* (uu) *eò quòd* non nihil *exaltatum fuiſſet cor Ezechiæ.* (xx) Hisque pœnis teſte ſacro Codice gemini hi Reges, eorùmque ſubditi fuerunt caſtigati, non obſtante, quòd David aliàs fuerit *vir ſecundùm cor DEI:* (yy) quòd *non fuerit ſimilis Ezechiæ de cunctis regibus Juda:* (zz) quòd *Bethſamitæ obtulerint*

(qq) Ita Ambroſius lib. de pœnit. c. 9. Gregor. M. in 1. Reg. c. 4. ſub finem. Theodoretus q. 14. Salianus A. M. 3324. Num. 32. & 33. Serarius in 4. Reg. & 2. Paral. Lancicius Opuſc. 16. c. 8. n. 133. & c. 12. n. 210. (rr) 1. Paral. 21. v. 14. (ss) 2. Reg. 24. v. 2. (tt) 1. Reg. 6. v. 15. (uu) 4. Reg. 20. v. 17. (xx) 2. Paral. 32. v. 26. (yy) 1. Reg. 13. v. 14. & Actor. 13. v. 22. (zz) 4. Reg. 18. v. 3. & ſeq.

holocausta, & immolaverint victimas illa ipsa die Domino. (w) Quis hìc, ô DEUM immortalem! quis justitiæ Divinæ rigorem non admiretur, & pertimescat? quis parvæ etiam noxæ malignitatem inde non colligat, & execretur?

At dices: tantúmne ergo criminis sit, infirmum hominem lubrico pede in levem quandoque nævum incurrere, ut propterea mox cœlum in iras, aër in fulgura, nubes in tonitrua erumpere debeant? Apage tot fulmina! leniora Creator fovet sensa; *ipse enim cognoscit figmentum nostrum.* (aaa) *Nec habemus Pontificem*, teste Apostolo, *qui non possit compati infirmitatibus nostris.* (bbb) Magna supplicia magna supponunt crimina; minora ejusmodi non merentur.

Enimvero ita si est, ergo Divinus Judex gravis injustitiæ se reum fecit, Moysen, Ezechiam, Davidem, Bethsamitas, & Ozam ob tenuem culpam tam severè puniendo. Ergo iniquus morum

(w) 1. Reg. 6. v. 19. (aaa) Psal. 102. v. 14. (bbb) Hebr. 4. v. 15.

morum is censor fuit, uxorem Loth ob fæmineam curiositatem, duos & quadraginta parvulos ob puerilem petulantiam, re omnium terribilium terribilissima nempe subita morte afficiendo; dum illa *versa est in statuam salis, quia respexit post se;* (ccc) hos verò, *egressi duo ursi de saltu laceraverunt;* (ddd) quia Elisæo illuserunt. Ergo in nova etiam lege rigidè nimis, injustéque orbis Moderator egit, dum Abbatem Moysen, quem Cassianus *singularem, & incomparabilem virum appellat, ob prolatum in quadam disputatione contra Abbatem Macarium paulò durius verbulum, tam diro confestim tradidit dæmoni possidendum, ut humanas egestiones ori suo, ab eo impulsus, ingereret;* (eee) licèt hic linguæ lapsus leve piaculum non excesserit? tam blasphema pectore sensa quis foveat?

Absit, ait Hussæus Vates, *absit ab Omnipotente iniquitas.* (fff) *Verè enim non*

(ccc) Gen. 19. v. 26. (ddd) 4. Reg. 2. v. 24. (eee) Cassianus collat. 7. c. 27. (fff) Job. 34. v. 10.

non condemnat frustra. (ggg) Potiùs venialis delicti immanem malitiam ex vindictæ hujus rigore metiri discamus, indeque arguamus, magnum omnino, & execrandum esse malum oportere etiam exile peccatum; cùm id *misericors ille & clemens, patiens & multæ miserationis DEUS* (hhh) in hoc adhuc mundo tam horrendùm plectat, castigétque.

II. *Tum in altero plectitur.*

II. Quod ipsum magis elucet ex pœnis, altero in orbe propterea infligi solitis; utpote quæ numero plurimæ, acerbitate maximæ, diuturnitate longissimæ sunt. Nam cruciamenta piacularis carceris sunt innumera, & atrocissima; quia plura & sæviora omnibus tormentis Martyrum, omnibus suppliciis latronum, omnibus morborum cruciatibus simul & collectim sumptis. Non mea hæc, sed Sanctorum Augustini, (iii) Anselmi, (lll) & Venerabilis Bedæ sententia est, dicentis: *purgatorii correctio gravior est, quàm*

(ggg) Job. 34. v. 11. & 12. (hhh) Exod. 34. v. 6. (iii) In Psal. 37. (lll) In 1. Cor. 3.

quàm quidquid unquam passi sunt latrones, vel sancti Martyres, vel quidquid homo gravius potest excogitare. (mmm) Cui astipulatur S. Julianus Archiepiscopus Toletanus, ita loquens: *gravior est ignis purgatorii, quàm quidquid homo potest pati in hac vita.* (nnn)

O voces terrore plenas! heu! ex mente Patrum ille ignis gravior est, quàm *quidquid unquam passi sunt* latrones à judicibus, Martyres â Tyrannis, ægrotantes â morbis. Quin imò gravior est, quàm *quidquid homo potest pati in hac vita.* Et proh! quantum non potest pati homo, vitalem respirans auram? Quis nostrûm in digitos mittet omnia afflictionum & miseriarum genera, quibus mortales in hac lacrymarum valle obrui possunt, ac torqueri? solùm intremus insanabilium nosocomia, visitemus Venetos carceres, intueamur Anglorum equuleos, ô quâm multiplices & horrendi cruciatus humana hìc corpora affligunt!

(mmm) Tom. 5. l. 3. exposit. in Lucam.
(nnn) L. 2. prognost. c. 19.

Enumerat Gallenus plura millia disparium inter se dolorum, à quibus unicum caput vexari valeat. His si addantur illi, quibus reliquum corpus, præsertim secretiores ac intimæ hominis partes cruciari possunt, quantus afflictationum exercitus conflabitur? Et tamen (ùt asserunt gemina Ecclesiæ lumina Sancti Cæsarius, & Thomas) non æquabunt vel minimam illius ergastuli pœnam. *Ille ignis purgatorii* (ait Arelatensis) *durior erit, quàm quod potest pœnarum in hoc sæculo aut videri, aut cogitari, aut sentiri.* (ooo) Aquinas verò affirmat, *pœnam minimam purgatorii excedere maximam hujus vitæ.* (ppp)

Mentis, quæso, hìc vires collige, quisquis hæc legis ac verborum sensa attentiùs perpende. O Superi! ergóne possibile sit, ut *minima ibi pœna excedat præsentis vitæ maximam? ut ille ignis durior sit, quàm quidquid pœnarum in hoc sæculo excogitari potest?* Et tamen ita est. Omnes excogitandi cruciatus in

(ooo) Hom. 8. ad populum. ppp) In 4. d. 21. q. 1. a. 1. q. 3.

in ejusmodi animam velut ad centrum confluent, eámque torquebunt ſine levamine, continenter ſine ulla intermiſſione. Id eſt, purgans anima eo doloris genere pro ratione culparum cruciabitur, qui æquabit omnes illos, queis ferendis tum corpus mortale in ſuis ſenſibus & organis: tum anima in ſuis facultatibus capax eſt; iisque cruciabitur diuturna plurium annorum intercapedine. Ad iſta edicite! cui, quæſo, præ horrore non rigeant artus? At pergamus.

Et hæc numero plurima, acerbitate maxima, duiturnitate longiſſima luſtrici illius rogi ſupplicia infliguntur ob veniales culpas . . . heu! ob veniales culpas! . . . ob mendaciolum, levem iracundiam, modicam diſtractionem, verbum otioſum, ob perdita temporis momenta. Ah! ob illas ipſas veniales culpas, quarum nos innumeras de die petulanter admittimus, per jocum effutimus, cum halitu profiamus.

Et

Et infliguntur (contremiſce ô peccator!) mentibus polo deſtinatis, ſponſis Chriſti, filiis & hæredibus cœli; & quidem infliguntur à DEO juſtiſſimo, qui peccatum ultra meritum punire non poteſt; quiſque animas illas tenerrimo, & infinito amore proſequitur; ídque (quod horrendum) continuato per plures annos ſupplicio. O Cœlites! his tam infandis doloribus ob unicum non rarò & levem nævum animæ electæ ſumméque dilectæ â mitiſſimo Numine torquentur non una vel altera horula, ſed continuato per plures annos cruciatu. Agite! ex his quid jam concludimus?

Ergo (ſequelæ vis perpendatur) ergo vel DEUS injuſtiſſimus & crudeliſſimus eſt tyrannus (quod blasphemum foret vel ſuſpicari) vel parva etiam noxa prorſus tremendum, & execrandum eſt malum. Ita eſt ô Religioſe! ô Sacerdos! aut DEus crudeliſſimus eſt tyrannus, aut illa tua vana gloria, mentis evagatio, impatientia prorſus tremendum & execrandum eſt malum.

O Supe-

O Superi! hæc credimus, hæc etiam alios docemus; & tamen peccamus. Scimus vel unicam tenuem offensam mereri lustrales flammas; & tamen peccamus. Non auderemus vel leviter delinquere, si certô sciremus, nos post unum vel alterum tale erratum vivos in foro comburendos esse. Ah! credimus nos ob illas ipsas, quas committimus leviores maculas in illis ignibus arsuros, & tamen eas tam audacter augemus, *& iniquitatem velut aquam bibimus.* (qqq) Quæ hæc insania? Ah! tandem meliora sapiamus, & his veritatibus convicti, magnum semper horrorem ac implacabile odium omnis piaculi etiam exigui animo foveamus.

O DEUS! ego pugillus cineris te Dominum dominantium post collatas mihi tot gratias offendi, & quidem toties . . . ídque per risum . . . pro re tantilla . . . ex mera petulantia; ubi nulla penitus boni spes, aut mali metus impellebat. Ah! nec pro obtinendo

(qqq) Job. 15. v. 16.

nendo totius mundi imperio, nec pro evitando etiam gravi morbo aut ipsa morte, decuisset Te Summum Bonum vel levissimè offendere; hæc scivi, & tamen innumera per diem à mane ad vesperam usque continua serie venialia accumulavi; idque jocando. O Cœli! jocando DEUM . . . Ah! DEUM meum ac Patrem optimum . . . ob vile commodum, ob inanem gloriam, animi exhilarandi causa offendi. Ad confinia lethalis noxæ, & orci marginem per leviuscula deductus, salutis prodigus etiam risi, & debitas iis in lustrico carcere pœnas nihili feci. O cæcitatem sanguineis lacrymis dignam!

Sed pænitet. . . . doleo . . . detestor omne etiam minimum peccatum. Insculpta cordi adamantino stilo aurea illa adhæreat tessera, nulla unquam oblivione delenda; *malo mori, quàm fædari etiam levi labe.* Illumina Domine, ah! *illumina tenebras meas*, (rrr) ut clariùs indies agnoscam venialis culpæ gravitatem! *spiritum rectum innova in*

(rrr) Psal. 17. v. 29.

in visceribus meis, (sss) ut ingenti horrore fugiam, & aversor, quidquid etiam leviter Divinæ tuæ displicet Majestati.

§. IV.

De practico peccati venialis odio, ejusque sedulo vitandi studio.

Cùm fructus ex hactenus dictis colligendus, non consistat in sterili solùm cognitione enormis malitiæ venialis noxæ, sed potiùs 1. in practico ejus odio, 2. illiusque serio cavendi studio, præsenti paragrapho utrumque animis altiùs inserere conabor; & quidem variante stilo, more investigationis rem tractabo, ut sacræ collectioni triduô vacaturis, pro examine statûs servire queat. Id quod plerumque etiam deinceps in quovis ultimo cujusvis capitis paragrapho observabitur.

I. Itaque salutis studiose Lector, postquam levioris etiam piaculi malignitatem in se ipsa considerâsti, eámque adhuc magis ex funestis ejus sequelis, *I. De practico ejus odio.*

(sss) Psal. 50. v. 12.

quelis, horrendisque suppliciis exhorrescere didicisti; examina modò, quàm firmus igitur menti dominetur *horror* offensæ venialis saltem deliberatæ, & pleno cum assensu admissæ?

Perpende, an seriò credas, *ab uno minori delicto majus malum advenire, quàm â toto simul tartaro?* (a) *& longè meliùs esse, corpus ac omnia corporea perire simul, quàm lædi animam in re etiam minima?* (b) adeoque *multò intolerabiliorem esse DEI offensam quamlibet exiguissimam ipso Luciferi inferno?* (c) Perpende, inquam, an hæc, & qua fide credas? num certa, & constanti? an verò dubia solùm, aut debili?

Insuper inquire, num tanto & pari mœrore affligaris, si fors labi te in ejusmodi piaculum contingat, quo, & quanto conficitur bonus alioquin ac teneræ mentis Christianus, qui casu fortuito in crimen mortiferum prolabitur? An cum S. Anselmo malis *te in*

(a) S. Theresia in vita à se scripta c. 25. (b) S. Dorotheus Serm. 20. (c) B. Catharin. Genu. cap. 27.

in orcum demergere, quàm talem culpam committere; ac potiùs purum, & innocentem gehennam intrare; quàm peccati hujus sorde pollutum cœlorum regna tenere? (d)

Percontare ex temetipso: quidsi levi mendacio lethalem morbum, gravem infamiam, ferale supplicium à me amoliri; aut honorificum quoddam munus, vel centum aureos acquirere, aut erumpens subitò propriæ domûs incendium extinguere possem, an non mentirer? .... si aut leviter peccandum, aut re valde amata carendum foret, quid agerem? .... Ad hunc lapidem lydium illud, quo ejusmodi nævos aversaris, odium periclitare; & cum Eleazaro fortiter decerne, *præmitti te malle in infernum,* (e) quàm levi etiam noxa fœdari. Secus *manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugies.* (f) Nam *peccata etiam parva impunita esse non possunt.* (g)

(d) Lib. 1. cur DEus homo c. 21. (e) 2. Machab. 6. v. 23. (f) Ibid. v. 26. (g) S. Prosper in sent. S. Aug.

Proin cura, ut ſemper animo altè immiſſus inſideat horror omnis peccati venialis ſaltem deliberati, præcipuè illius, 1. in quod frequentiùs laberis; nam crebriùs nos infeſtans morbus primam Medici expoſcit manum. 2. Quod aliorum defectuum fons eſt & origo; ſucciſa enim radice, ſua ſponte areſcent ſtolones rami. 3. Quod ad lethalia proximiùs deducit; qui enim præcipitium ſeriò timet, etiam ſemitam, quæ eò ducit, horret. *Non citò ad majora progreditur*, ait Hieronymus, *qui parva formidat.* (h) *Cura ergo levia, quoad levia ſunt, ne graviora fiant;* (Sancti Dorothei monitio eſt) *facilè enim ab his parvis ad magna committenda delabimur.* (i) Nam (ùt obſervat S. Gregorius Papa) *in unoquoque lapſu â minimis ſemper incipitur, & ſuccreſcentibus defectibus, tandem ad mortifera devenitur.* (l)

II. *De ſedulo ejus vitandi ſtudio.*

II. Verùm non ſufficit ingens hujus monſtri concepiſſe odium, niſi huic

(h) Epiſt. 14. ad Paulinum. (i) Serm. 5.
(l) L. 31. Moral. c. 9. al. 12.

huic ſolers pariter, in eo vitando, ſocietur ſtudium; quod quatuor capita complectitur, nempe firmum propoſitum, aſſiduam vigilantiam, promptam repugnantiam, & charitati junctum orationis fervorem. Cùm verò *propoſitum* cavendi futura, nequeat eſſe ſat *firmum*, niſi ardens de admiſſis præceſſerit dolor,

1. Examina, quàm incenſus is eſſe ſoleat? Nam teſte V. F. Alphonſo Rodriquez *etiam unicum tale delictum meretur, ut tota vita defleatur.* (m) Proin vide, an & quàm fervens ſit illa deteſtatio, quam de commiſſis levioribus erratis examini nocturno ſubjungere, & ſacræ exomologeſi præmittere aſſueviſti? Sique interdiu leviter te labi contingat, num mox doleas, vel dicendo cum Regio Pſalte: *peccavi;* (n) vel exclamando cum illo cæco: *JEſu Fili David! miſerere mei;* (o) vel ingemiſcendo cum illo publicano: *DEus propitius eſto mihi peccatori.* (p)

(m) In Ejus vita l. 1. c. 3. (n) 2. Reg. 12. v. 13. (o) Marc. 10. v. 47. (p) Luc. 18, v. 13.

Præterea inquire, quàm firmum tunc & efficax ſit, illa deinceps cavendi decretum? an ſemper unum aliquod ſingillatim deſignes, inpoſterum usque ad proximam tui in ſacrò tribunali accuſationem peculiari cura corrigendum? Numque hoc confeſſionis propoſitum renoves horis ſucciſivis, quibus aliàs latens triticea ſub nube DEus adorari à te conſuevit? quot jam hujus generis noxias per toties repetitas conſcientiæ expiationes emendaris? væ illi, cujus vitio cœleſte hoc pharmacum vertitur in toxicum.

Ut autem memoratus dolor debito cum fervore deinceps eliciatur, dictumque propoſitum optata efficacitate non careat, ea, quæ de levis piaculi malitia hucusque prioribus §§is fuerunt inculcata, vivaci memoria erunt retinenda, & vel ſub meditatione, vel aliàs ſæpius recolenda. Sicut enim (ùt docet S. Thomas) *omne peccatum contingit ex defectu cognitionis*, (q) qua ejus turpitudo, gravitasque rite cogno-

(q) 1. 2. Q. 77. a. 2.

cognoſcitur; ſic é contrario ejus perſpicua notio potens, & efficax eſt, quo à peccando retrahimur, frænum. Et ſicut cognitio veneni, quo turget ſerpens, efficit, ut eo vel longiùs viſo, ſtatim quis pedem referat, declinétque; ita viciſſim *tanquam à facie colubri fugiet peccatum* (r) etiam puſillum, quicunque ejus fœditatis perſpicaci jugique notitia præditus fuerit. Et hinc S. Edmundus Archiepiſcopus Cantuarienſis, hac quia claruit, *in rogum ardentem inſilire maluit, quàm delictum ullum ſciens admittere.* (s) Contrà verò nos (Chryſoſtomi verba ſunt) *quia non celeriter animæ lucernam accendimus*, qua illuſtrati hujus vitii malignitatem inſpiciamus, *ſingulis diebus offendimus.* (t)

2. Nihilominus nec iſta quidquam proficient, niſi acceſſerit *perpetua* quædam *vigilantia* & ſolicitudo aſſidua, ne â nobis ullo pacto offendatur DEUS. Hoc remedio S. Patriarcham Ignatium ſuo ſingulari emolumento uſum fuiſſe,

(r) Eccleſi. 21. v. 2. (s) In Ejus vita. (t) Hom. de S. S. Martyribus.

testatur Maffejus, sic de eo scribens: *erat in perpetua quadam vigilia contra omnes rerum mortalium illecebras & otiosam mentis evagationem; nec minùs accuratè animum ab omni labe tuebatur, quàm qui pretiosis ornati vestibus via lutulenta coguntur incedere.* (u) Aurea certè, & peraccomoda hæc â vestimentis petita similitudo est; *sicut enim* (ait Macarius senior) *si socors aliquis & ignavus per loca spinis & luto plena noctu gradiatur, vestisque ejus hinc inde neglectim defluat, ea vel spinis lacerabitur, vel luto polluetur; ad eundem ferè modum anima nostra cum corpore suo transiens per spinas, & lutum hujus vitæ, nisi ex omni parte cum studio & diligentia coërceat se ipsam, mox spinis & luto variorum defectuum fœdabitur, & lædetur.* (x) Præterea *cùm* (ùt enunciat Chrysostomus) *hostem habeamus perpetuum, ac fœderis nescium; manifestum est, magna nobis vigilantia opus esse, ut ejus fraudes vincere possimus.* (y)

Itaque

(u) L. 3. c. 1. (x) Rosvveid. in vit. Patrum. (y) Hom. 60. in Gen.

Itaque examina, qua providentia quinque ſenſibus, ac tribus animæ facultatibus invigiles? An cautè (ùt monet idem Macarius) *oculum avertas, ne prava videat? aurem ſubducas, ne noxia audiat? linguam refrænes, ne vana loquatur? cor denique conſerves, ne cogitationes aut deſideria per mundum impune volutentur.* (z) Quid enim mirum, quod hinc atque illinc in offendicula impingas, ſi cunctis appetitionibus & phantaſiis liber acceſſus ad te ac tranſitus pateat? ſi illos animi proditores (ſenſus intelligo) licenter vagari ſinas? præſertim oculos & linguam; nam *vitiis noſtris per oculos via eſt*, ait Quintilianus; (aa) *eósque cor nefariè ſequi ſolet.* (bb) Per illos veluti per feneſtras mors furtim in animam intrare, eique gratiæ theſaurum diripere conſuevit. *Lingua* verò, teſte Apoſtolo Jacobo, *ignis eſt: univerſitas iniquitatis eſt, quæ maculat totum corpus: inquietum malum eſt, plena veneno mortifero.* (cc) *Ut ergo*

(z) Loc. ſupra cit. (aa) Declamat 1. pro cæco. (bb) S. Greg. Nazianz. (cc) Jacob. 3. v. 6.

mens munda in cogitatione servetur, monitore Hieronymo, *deprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam.* (dd) *ori* verò *tuo pone custodiam, & ostium circumstantiæ labiis* tuis, *ne* cor tuum *declinet in verba malitiæ*, (ee) præcipuè in murmurationes, stultiloquia, detractiones, litigia, susurrationes, mendacia & alia his similia viperarum genimina.

Juverit etiam sub meditatione, vel post exomologesin, aut sacram Synaxin animo revolvere occasiones & illicia peccandi leviter; v. g. illa loca, personas, negotia, quæ uberiorem ejusmodi lapsibus ansam præbere consueverunt; seque prævio horrore, ac præmisso dissensu, aut fugæ proposito contra lapsionem obarmare. Nam teste Chrysostomo *consideratione laqueorum, in quibus incedimus, peccata vitantur.* (ff) *Insidiantis enim culpæ evadere gladium nequeunt*, (Gregorii Magni effatum est) *qui non solicito quotidie timore*

(dd) In cap. 3. Thren. (ee) Psal. 140. v. 3. & 4. (ff) Hom. 15. ad pop.

more contra ista mentem muniunt. Facilis est enim animus vinci imparatus, si haud accinctus derepente ineat certamen. (gg) *Expedit ergo prævidere pericula, quæ formides, ut egregiè præmunitus prodeas in aciem.* Ita Sanctus Theodor. Studita. (hh) Considera igitur, quomodo circa ista te habeas?

3. Præcipuè verò, an mox primordiis *prompta repugnantia* obnitaris, & ipsa etiam piaculorum initia providè vites? Age, *scrutare Jerusalem in lucernis*, (ii) & vide, an non subin tentationi semi-plena voluntate succumbas? inter assensum & dissensum dubius titubes? & aliquid saltem hostis intra cordis castellum admittas? O temerarie! si animæ te cura, si cœli te amor tenet, per tuam te salutem obtestor, vel umbram fuge: ipsa etiam tuta time: ad primum inimici conspectum mox ad arma conclama. *Jubet enim Dominus*, (ait Palladius) *ut observemus caput serpentis; contrito enim ejus capite totum corpus est*

(gg) In Jobi c. 9. (hh) Serm. 116. (ii) Soph. 1. v. 12.

mortuum. (ll) Quiqúe principiis audax obſtiterit, is indubié victor erit.

Rationem dat B. Laurentius Juſtinianus, ſic ſcribens: *quia, quò quisque magis ſtrenuè ab initio pugnaverit, eò robuſtior evadet, majoribúsque auxiliis â DEO adjuvari ſolet.* (mm) Secus (crede mihi) neglecta ſcintilla, magnum excitabit incendium. Levem negligentiam turpis ſequetur lapſus. *Sicut enim parva* (Oris Aurei comparatio eſt) *in veſtimentis facta ſciſſura, nec reſarcita, magnam facit diſruptionem; & ſicut torrentes, ſi vel minimum ceperint ingreſſum, mox totum introducunt fluentum;* (nn) ita quoque ceraſtes ſtygius, modò per rimulam caput immittere fuerit permiſſus, mox reliquo corpore ſinuoſa fraude ſecutus, omnium potietur. Nempe nimiùm vafer eſt: anguilla glabrior eſt: ſiſti, teneri impatiens eſt; ſi vel digitum ei porrexeris, mox totam admordebit manum; victusque

(ll) In Hiſtoria Lauſiaca c. 52. (mm) Lib. de inſtit. & regim. Prælatorum cap. 4. (nn) S. Chrys. hom. 19. ad pop.

ctusque certò cades, nisi assultûs primordiis generosè restiteris.

4. Id autem ut fiat, *multa & ferventi oratione, DEique amore muniendus est animus*, (ait S. Isidorus Pelusiota) ne â dæmone per peccata suggesta vincatur. (oo) Oratio enim est illud armamentarium, unde opportuna vincendis hostibus arma depromuntur. Amor DEI verò est ille focus, ubi illa ancipiti acie instruuntur, & magis exacuuntur. Nam, nisi charitas bellicos ardores indiderit, nostra omnis pugna languebit. *Et nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, nequicquam vincere conamur errores & tentationes; cùm pares nos ad eis resistendum, non liberum arbitrium, sed DEI solùm facere possit auxilium;* (pp) quod tamen non datur, nisi oranti.

Inquire itaque, quàm ardenter etiam tu cum Machabæo ores, *ut Dominator cœlorum mittat Angelum suum bonum ante*

(oo) Lib. 2. Epist. 164. (pp) S. Innoc. Papa ad Conc. Carthaginense.

te te in timore & tremore magnitudinis brachii sui? (qq) An imiteris Judam, & Socios ejus, *qui invocato DEO per orationes, cum suis hostibus congressi sunt, manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes.* (rr)

Indaga, an per selectos, & certis temporibus eliciendos charitatis actus, contra frequentiores, magis periculosos & familiares tibi lapsus præmunire te labores? ex. gr. audito horologii pulsu, dicendo: *amo te mi DEUS! super omnia; & hinc malo infamari, ægrotare, mori, quàm fœdari veniali nævo, præsertim isto* N; aut contestando: *ô Domine! etiamsi possem levi iracundia, mendacio, distractione crurifragium, infamiam, morbum, aut mortem declinare, vel summam mihi scientiam, æstimationem hominum & amorem procurare, nollem delinquere.* Ejusmodi affectus & vibrata cœlum versùs charitatis spicula, contra DEI offensas etiam minores potens antidotum esse, testatur S. Prosper,

(qq) 2. Mach. 15. v. 27. (rr) Ibid. v. 26. & 27.

ſper, dicens: *ſi DEUM ex toto corde diligamus, nihil erit in nobis, unde peccati deſideriis ſerviamus.* (ss)

Itaque deſcripto ſuperiùs odio, ſi levium etiam noxarum *malitiam* execrati fuerimus; ſi relatis quatuor remediis uſi, illas evitare conſtanter ſtuduerimus, beati erimus; quia mundi corde. Nec erit, quod nobis ab earum *effectibus* aut *ſuppliciis* timeamus.

(ss) Lib. 3. de vitæ conſt. c. 15.

CAP. II.

CAPUT II.

DE TEPORE.

Cùm animi languor levis offensæ ſpuria proles ſit, & mali corvi malum ovum audiat; jure ſuo primum à veniali locum in triſti hac obſtaculorum ſerie ſibi vendicat. Sicut enim gravior corporis ægritudo greſſum omnem pedum moratur, ita & animæ tepor omnem virtutis progreſſum ſiſtit. Ex quo abunde patet, eum poſt minuta peccata impedimentorum eſſe maximum, ac veluti primipilum. Verùm I. illius malignitas, II. ejus effectus potens incitamentum erunt, hanc peſtem noſtra ex mente ocyus excutiendi.

§. I.

Teporis Malignitas.

I. *Tepidus ſimilis eſt agro ho-*

I. O tepide! tu es ille *ager hominis pigri*, (a) quem *totum repleverunt urticæ* indomitarum affectionum; tu

(a) Proverb. 24. v. 30.

tu illa *vinea viri ſtulti*, (b) *cujus ſuperficiem operuerunt ſpinæ* innumerabilium per diem defectuum, continua ſerie admiſſorum; tu illud vinetum, *cujus maceria lapidum*, nempe collectio animi, & peculiaris tutela Numinis, ablata penitus, atque *deſtructa* eſt. (c) Dominans menti tepor eſt ille *aper de ſylva, & ſingularis ferus*, (d) *qui depaſtus eſt* animam tuam ita, ut cordis intima ingreſſus, temetipſum ſtupere cogaris totum diverſum ab illo, qui olim tyro fuiſti.

minis pigri, &c.

Ficulnea illa *ſtans ſecus viam*, non habens *niſi folia tantùm* ſimulatæ virtutis, quæ diris devota à Chriſto, *arefacta eſt continuò*, (e) animæ tuæ penitus aridæ, ſterilis, languidæ infelix typus eſt. Hæc enim eſt illa *terra*, quæ *ſæpe venientem ſuper ſe bibens* gratiarum *imbrem*, *non profert* niſi vitiorum *ſpinas ac tribulos*, (f) & quæ propterea *maledicto proxima* eſt. Hæc ſimilis eſt illis *ſepul-*

(b) Ibid. v. 30. (c) Ibid. v. 31. (d) Pſal. 79. v. 14. (e) Matth. 21. v. 19. (f) Hebr. 6. v. 8.

sepulchris de albatis, (g) *quæ à foris parent hominibus speciosa*, veste scilicet & nomine Religiosi; *intus autem plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitia.*

O si conscientiam hominis tepidi diducto sipario inspectare daretur, eveniret nobis, quod Ezechieli, per foramen in templum inspicere jusso; nempe attoniti *videremus abominationes pessimas reptilium & animalium in circuitu per totum.* (h) Quid enim aliud sunt falsa illa principia, queîs ille nixus mentis aculeos sopire conatur? quid aliud illa mordax lingua, & litigiosa: illæ aversiones, invidiæ, æmulationes, & superbiæ: ille spiritus murmurationis, & acrimoniæ: occultus ille amor proprius, qui tacitè serpendo, omnes actiones suo veneno inficit, & corrumpit? quid aliud illa peccata occulta, quibus tepentis animus instar putridæ carnis acervatim verminat?

II. *Ejus vita est series*

II. Et profectò videre ejusmodi hominem Sacris operantem, vel mensæ Eucha-

(g) Matth. 23. v. 27. (h) Ezech. 8. v. 9. & 10.

Eucharisticæ accumbentem, idem est, ac videre *abominationem desolationis, stantem in loco sancto.* (i) Nam incubans animæ languor ex oculis, vultu, moribus, ex ipso gressu, & voce tristi frigore promicat. Trementibus præ reverentia Cherubinis, & ardentibus præ amore Seraphinis, ille inter hos medius indecoro gestu stupidum mentis gelu undique proflat; ac illo ipso tempore, quo mystica verba profert, aut cœlesti pane reficitur, cum vanis cogitationibus velut cum totidem catellis pueriliter ludit, omni pietatis sensu destitutus. *continuorum defectuum.*

Conscientiam sacra exomologesi mundaturus, ejus generis præparationem, tam oscitanter deproperatam, præmittit, ut hæc ipsa expiatio iterata confessione sit expianda; & instar *canis, qui revertitur ad vomitum,* (l) post horam denuo perpetrat, quod paulo ante se vitaturum promisit. Ea corporis immodestia, linguæ volubilitate, spiritûs inertia, & dissipatione voca-

(i) Marc. 13. v. 14. (l) Proverb. 26. v. 11.

les preces persolvit, ut accersita sibi Regii Psaltis maledictione, *ipsa oratio ejus illi fiat in peccatum;* (m) dum attentiùs ludit, quàm orat; Deumque irritat illa ipsa actione, qua ejus iram placare deberet.

Præscripta Religionis exercitia, quæ sine nota omitti nequeunt, solùm ex consuetudine, respectu humano, aut dura necessitate compulsus, non nisi in speciem, oculis illusurus, obit cum summa languentis animæ nausea. Confiteri sine emendatione, accedere ad synaxin sine devotione, vacare sacris collectionibus animi sine fructu, opera quotidiana sine debita intentione, methodo, ordine, solùm ex impetu, commodo, alióve vitioso fine, ac modo peragere, usitatum ei est.

Unde fit, ut cum illo ægroto *triginta & octo annis* hæreat penes *probaticam piscinam*, assidens fonti gratiarum, quin tamen *ab infirmitate sua* (n) unquam sanetur. DEUS illi desipit,

(m) Psal. 108. v. 7. (n) Joan. 5. v. 14.

ſipit, exerrat à ſemitis Divinæ Providentiæ, à ſeipſo exulans, horret in ſeipſum reverti. Verbô: ſemper effuſus in externa, rarò ſibi & DEO præſens, laboris fugiens, nec niſi commoda, otium, & oblectamenta prenſans, eadem facilitate venialiter DEUM, qua muſcam lædit; idque ſine ullo angore, ob *fragmen panis*, (o) jocando, ridendo.

III. Tanta ergo cùm teporis malignitas ſit, quid mirum, quod tepidus maledicto proximus, ac in eo jam ſit, ut ex divino corde rejectus, à DEO cum nauſea evomatur. Et certè nil manifeſtiùs execrabilem hujus peſtis malitiam ob oculos ponit, ac illud Sacræ Paginæ fulmen: *quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* (p) O pœnam terribilem! III. *In eo eſt, ut à DEO cum nauſea evomatur.*

Audite vilia teporis mancipia, & totis artubus contremiſcite! En! DEUS vos ex ore ſuo evomere incipit; ille, inquam, DEUS, qui ipſos etiam pec-

(o) Ezech. 13. v. 10. (p) Apoc. 3. v. 16.

catores ſolicitè quærit, amanter recipit, cum eis amicè manducat; is tepidos tanquam cibum ſibi omnino contrarium, quem ſibi aptare non poſſit, nauſeat; & quidem tanto cum horrore nauſeat, ut eos illata cordi (amoris ſedi) violentia, ex ore ſuo evomere paret. Quid horribilius de fervoris remiſſione dici poſſit? nam res quæ evomitur, præcordia gravat, creat dolorem, extinguit ſui amorem, inducit ſui odium, tandemque ex ore projecta, tanto omnibus eſt horrori, ut non ſolùm labiis nunquam ampliùs admoveatur, ſed nec oculis uſurpetur.

Et hæc eſt ô tepide! viva tui ſtatûs imago. Sordes evomitæ, quarum vel memoria ſtomacho faſtidium movet, teſtante Sacro Codice, tui ectypa ſunt. O infelix! cordi divino moleſtiam creas; nec doles? paterna illa charitatis viſcera ad tui nauſeam commoves; nec times? in eo jam es, ut à DEO cum quadam pectoris ſui violentia evomaris; nec trepidas? O miſer! nil propius eſt, quàm ut toti Curiæ cœleſti

lesti instar rei, per vomitum ejectæ, execrabilis evadas; nec horres? Quin imò hæc legis sine ullo sensu aut motu; lecta etiam credis, quin tamen animi tui gelu liquefiat, ac in pœnitentiæ lacrimas diffluat; ipsam hanc considerationem languidè peragis. O piger! quid tandem torporem excutiet, si hæc tonitrua torpentem non excitant?

Et hoc denique est, quod hujus statûs execrationem auget; quia ejus curationem tanquam mali difficulter sanabilis vix non desperare jubemur à S. Paulo, scribente, *impossibile esse* (id est valde difficile) *eos, qui semel sunt illuminati .... & prolapsi sunt, ... rursus renovari.* (q) Certè S. Bernardus (r) rem prodigio accenset. Et hinc licèt status frigiditatis, nempe peccati lethalis, sit omnis miseriæ, & infelicitatis detestabile centrum, tamen languori suo modô præhabendus videtur. Quia quamvìs prior suapte na-

(q) Hebr. 6. v. 4. (r) In Epist. 96. ad Abbat. Fontanum.

tura majus ſit malum, eſt tamen minus ob triſtiores quosdam, quos alter parit, effectus. Hanc ob rem ipſe DEUS ingemiſcendo exoptat: *utinam frigidus eſſes!* (s) quo abunde prodit, quanta hanc ſpiritûs inertiam averſione execretur; cùm illam cum vomitu, re omnium fœdiſſima, comparet, & nos potiùs frigidos peccatores eſſe, quàm tepidos cupiat.

Proin ô anima! perſpecta horribili hujus ſtatûs malignitate, mentis deſidiam excute, tempus redime, inſtaura fervorem, ac *memor, unde excideris, age pœnitentiam, & prima opera fac;* ſin'; time, ne ultor DEUS *veniat tibi, & moveat candelabrum tuum de loco ſuo,* (t) teque à ſe projiciat non ampliùs aſſumendum.

O *DEUS miſerationum!* (u) ah! *ne projicias me à facie tua;* (x) *à facie enim frigoris* tui *quis ſuſtinebit?* (y) Fateor; ego

(s) Apoc. 3. v. 16. (t) Apoc. 2. v. 5.
(u) 2. Eſdr. 9. v. 31. (x) Pſal. 50. v. 13.
(y) Pſal. 147. v. 7.

ego ſum illa ſterilis *ficulnea*, (z) ille aridus *palmes*, (aa) ſuccidi, & foras mitti jam pridem meritus. Ego illa *ficus mala*, *mala valde*, (bb) quæ Te *ad amaritudinem adduxit*, (cc) evomi pridem digna. Verùm ſalutari timore & tanti mali horrore perculſus, priſtinum teporem conſtanti fervore compenſabo. Tu, qui *ignis conſumens es*, (dd) diſſolve mentis glaciem, & in me amoris tui flammas accende, ut deinceps Tibi ſerviam eò ardentiùs, quò ſeriùs.

§. II.

Teporis effectus.

I. PRimus, quem animi remiſſio producit, effectus eſt ſanationis difficultas. Nam ut quis malo medicamen afferat, opus eſt, ut ejus malignitatem agnoſcat. Jam autem anima tepida non credit ſe eſſe tepidam; vel ſaltem ægritudinis malitiam non

I. *Hic morbus difficillimè ſanatur.*

(z) Luc. 13. v. 7. (aa) Joan. 15. v. 6.
(bb) Jerem. 24. v. 3. (cc) Job. 27. v. 2.
(dd) Hebr. 12. v. 29.

ſat apprehendit; cùm cœcitas mentis ſit individuus comes teporis, & hujus agnitio jam ſupponat fervorem. Verſatur in ſummis periculis, & ſecuram ſe cenſet: mala eſt, & bonam ſe putat: ægra eſt, nec ſentit vim mali, ſanam ſe judicat; & hinc de applicandis morbo medelis nunquam cogitat. Cumque quotidiana pietatis exercitia tamen adhuc, quamvìs ſegniter peragat, & ſubinde aliquid boni, licèt malè agat, falſa virtutis ſpecie illuſa conſcientiæ miſeriam non introſpicit: unde fit, ut ſibi nec de medicina proſpiciat; quod ipſum ejus curationem difficillimam reddit.

2. Præterea etiamſi aliquod malo antidotum adhibeat, tamen ejus generis ægrotus eſt, cui ſtomachi vitio ipſa etiam medicamenta ſunt venenum. Nam meditationes, examina, confeſſiones, ſacrificia & ſynaxes, ſacrique ſeceſſus ab ejusmodi ſine fructu, quia negligenter obeuntur; & ſic efficaciſſima pellendi torporis, & acquirendi fervoris adjumenta à tepido in animæ

diſpen-

dispendium convertuntur. Ipsemet non rarò, licèt totus frigeat, in hanc pestem é suggestu invehitur. alios animat ad praxin virtutum, quibus ipse caret. dissuadet vitia, quibus ipse sordet. præscribit remedia, quæ ipse negligit. Similis est ligneo viarum indici, qui dum aliis viam monstrat, ipse eidem loco semper affixus hæret; eò magis reus, quod viam fervoris calleat, nec tamen ineat.

Hinc affirmat S. Bernardus, longè faciliùs esse ad frugem convertere hominem mundanum quantumvis sceleratum, quàm desidem Religiosum; (a) eò quod gravissimi non rarò peccatores, solo aspectu imaginis Christi é cruce penduli, sola mortis memoria, rigore judicii, inferorum æternitate subitò permoti, seriò resipiscant. Cùm é contrario ejusmodi ignavus, utpote æternis his veritatibus obiter

(a) Epist. 96. ad Abbatem Fontanum, ubi ait: *multò facilius reperies multos sæculares converti ad bonum, quàm unum quempiam de tepidis Religiosis transire in melius.*

meditandis jam assuetus, his æquè parum tangatur, ac illi moribundorum aspectu moventur, qui eisdem quotidiani assistunt. Quis ergo neget, hujus morbi sanationem difficillimam esse?

3. Denique ultima huic malo panacea foret singularis quædam gratia, cujus victrici impulsu inveteratus hic torpor excutiatur. Verùm torpida mentis segnities etiam huic remoram ponit; cùm enim anima languida, utpote in externa plerumque effusa, præ cupiditatum tumultu ad excitantes gratias animum non advertat, vel eas surda aure prætereat; quid mirum, si tandem DEUS eam stimulare desinat, & ultricibus tenebris infelicem indormire sinat?

Accedit, quod talis etiam bona agendo, malè agat, sicque continuò peccet; quo fit, ut omnem singulari ejusmodi gratiæ viam præcludat. Et licèt subinde mentis cœcitatem cœlestis quidam radius illustret, ac animi

gelu

gelu liquefaciat; tamen momentanei hi fervores mox iterum evanescunt; nec citiùs plerumque tepor, quàm vita deponitur. O effectum verè funestum, eóque terribiliorem, quò crebriorem!

Superi! cui tanta sanationis difficultas pestiferi hujus morbi horrorem non incutiat? At non despero; nam *omnia possibilia sunt credenti.* (b) O JEsu! cùm Lazarum é tumulo jam fœtentem suscitaveris, tuæ omnipotenti gratiæ confisus, me quoque redivivo ardore animandum spero. *Ignem* venisti *mittere in terram;* nec aliud vis, *nisi ut accendatur.* (c) Igitur accende cor meum, ut, quod hactenus fuerat sterile senticetum, deinceps ùt mysticus ille *rubus ardeat* perenni *fervoris* flamma, quin unquam deficiat. (d)

II. Alter effectus est periculum valde propinquum, labendi in gravem culpam. Cùm enim ejusmodi anima defe- *II. Inducit in periculum pec-*

(b) Marc. 9. v. 23. (c) Luc, 12, v, 49.
(d) Exod. 3. v, 2.

candi graviter. defectibus assueta vivat, venialia sine angore committat, de lethiferorum gravitate, & motivis inde absterrentibus rarò, & etiam tunc solùm oscitanter cogitet; in illa paulatim piaculi mortalis horror ita imminuitur, ut cum eo conscientia sensim cicuretur. Hinc fit, ut dein cum tentationibus etiam impuris secura ludat, inter assensum & dissensum temerè titubet, de admissa delectatione solùm obiter dubitet, sensibus nimiùm periculosa permittat, variaque sibi principia formet, vel potiùs effugia fingat, *ad excusandas excusationes in peccatis.* (e) Donec tandem superveniente vehementiori impulsu in lethalem noxam toto nisu præceps agatur. O si lustrici, aut stygii carceris fauces apertas cerneremus, quot inde voces audituri essemus, hanc veritatem confirmantes, & suæ ignaviæ maledicentes.

Qui spernit modica, (æternæ Veritatis oraculum est) *paulatim decidet.* (f) Quis autem proterviùs hæc negligit quàm

(e) Psal. 140. v. 4. (f) Eccli 19. v. 1.

quàm tepidus ? *Nullus diu tutus est*, (ait Hieronymus) *periculo proximus.* (g) Quis autem proximior tepidô? Ergo nemo pariter illo vicinior lapsui, æternoque exitio est. Documento sit Apostolorum Princeps Petrus; is post neglectam in horto orationem, *sequebatur Christum à longè*, (h) & ancillis immixtus foco assidebat; *quia frigus erat*, (i) magis animæ ejus quàm corpori infestum. Verbô: in teporem inciderat. Et en! antequam gallus bis cantavit, JEsum ter negavit. Infame hoc monstrum vel ipsam Ecclesiæ columnam in ruinam impulit.

Quicunque ergo mortiferam Divinæ Majestatis offensam, & pedisequam orci pœnam horres, excute, ah! excute torporem; secus in utramque prono pondere rues. Audis ô tepide! (nam veternoso fortiùs, & repetitò inclamandum est) nisi hunc languorem animo expuleris, præceps in grave peccatum, & inde in tartarum ibis.

Enim-

(g) Hieron. Ep. ad Fammachum. (h) Matth. 26. v. 58. (i) Joan. 18. v. 18.

Enimvero cui hoc fulmen mentis desidiam non excutit, is in eo jam est, ut lethalibus noxis quietus indormiat, ac tandem immoriatur. O cœli! si tepor vel ipsas cedros sternit, mihi abieti quid fiet? Heu! *dissipata sunt ossa mea secus infernum*, (l) ad cujus fauces execranda hæc pestis me perduxit. Sed *respice in me Domine DEus meus*, & gratia tua torpentem excita, *ne unquam obdormiam in morte*. (m)

III. *Et obeundi mortem parum piam.*

III. Tertius denique effectus, qui ex hac malorum sentina profluit, est discrimen obeundæ mortis parum piæ. Mors est echo vitæ. Miraculum proin foret, si fervidè moreretur ille, qui tepidè vixit. Cùm talis nullo cœli desiderio teneatur, nec nisi terrena sapiat, ab his avelli per lethum horret, cujus vel mentionem ingessisse, eum contristâsse est. Et licèt, de instanti agone admonitus, vires deficere ipsus advertat, tamen se jam nunc fatis concessurum minimè putat. Imò paucis non rarò ante obitum horis temeraria

(l) Psal. 140. v. 7. (m) Psal. 12. v. 4.

raria ſpe de multa ſibi canitie adhuc blanditur. Et hinc reſidua fugientis vitæ momenta non procurandæ bonæ morti, ſed recuperandæ ſanitati præpoſterè impendit. Cùm amor ſui, cuticulæ commoda, ſenſuum oblectamenta unicum ejus ſtudium fuerint; morbi moleſtias ea impatientia perfert, qua majori nec Braſilus poſſet, qui de Chriſti doloribus nil unquam audivit. Rebelles animi motiones, utpote nunquam ſub jugum miſſæ, liberiori tunc ac unquam aliàs tyrannide dominantur. Mens ejus, commotis humoribus, tumultuans Euripus eſt; adeò omnia diſplicent, & incommodant: offendunt, & turbant.

Sacerdotem, pios affectus præeuntem, ob defectum prævii hac in re exercitii vel non aſſequitur, vel ob mentis intemperiem, ac dolorum vehementiam ad eorum ſenſum non attendit; vel pro inveterata conſuetudine ita ſegniter eosdem elicit, ut meritò dubites, an eorum vel unicus ſalutaris ſit, & ſuperni ordinis celſitatem attingat.

Hor-

Horror eſt videre, quàm frigidè, quàm ſine ullo devotionis ſenſu ſacris myſteriis, ac ultimis religionibus (niſi tamen illis in pœnam teporis fruſtretur) animam procuret. Conſcientiam expiat, ut nunquam languidiùs. Agnum DEI, qui tamen leonem mox induet & judicem, ita cordis hoſpitio excipit, ut inertiùs nec hæreticus poſſet. Sacro Oleo ita inungitur, ut vel delirus neſciat, quid agatur: vel dormitans non attendat: vel deſes non curet. Et tamen præcipua hæc ſalutis remedia ſunt, & quidem ultimò applicata, quæ proin nunquam majori cum fervore ac in hoc rerum articulo uſurpari deceret.

Demum agoni & æternitati propinquat totus ad cœleſtia ſtupidus, conſcientiæ ſtimulis turbatus, præteritorum dolore, futurorum metu ſummè anxius; donec tandem poſt mortem parum religioſam, quæ adſtantes jure ſolicitos habet, terribili judicio ſiſtatur, inde ſi non in orcum, ſaltem in purgantes flammas præcipitandus; ubi in-

nume-

numeri eum, atroces ac diuturni cruciatus manent. Et hi ſunt triſtes effectus deteſtandi languoris, ad quos ſi omnis tibi ſenſus occaluit, time, ne id ſerpentis jam gangrænæ indicium ſit, proximi interitûs prænuncium.

O ferventium animarum amator DEUS! agnoſco fœdam malignitatem & horrendos effectus teporis. Cohorreo totus, proſpectans horribilia periculorum præcipitia, in quæ funeſtum hoc monſtrum me adduxit. Ah! ea ſegnitie tibi, ô Rex Regum! ſervivi, quam nec ruſticus in ſervo tuliſſet. Ea inertia orando tecum egi, qua ſocio colloqui puduiſſet. Immenſo amori, quo me in Euchariſtia complecteris, non niſi gelu rependi; licèt, Te redamanti, ingentes gratias ſponderes.

Tu ipſe, quamvìs dominantium Dominator, & neminis indigus ſis, mihi tamen continuò ſervis, me conſervando, in actiones meas influendo, neceſſaria miniſtrando, & matris inſtar ſinu fovendo; idque facis amore infi-

nito, ſempiterno, gratuito; & ego . . . (vah! frigus ultoribus rogis dignum) in tuo ſervitio tepens langueo; & eo ipſo tempore langueo, quo laboribus vanis, amore rerum creatarum, ob nihil vires conſumo.

At pœnitet! . . . Stat, reſiduos vitæ dies ſancto ardori impendere. Vos cœlorum Principes, qui veſtrum illud triſagion irrequieta voce æternùm concinitis, Seraphico alarum motu mutui amoris flammas in me ſuccendite, ut poſthac cor meum lampas ſit, perpetuo fervoris igne animata.

§. III.

De ſignis, & remediis teporis.

AT verò ne fors vanè tibi blandiaris, hactenus dicta nihil ad te pertinere; cùm tepidum te eſſe minimè credas; breviter modò & obiter hoc tibi monſtrum delineabo. Eſt ergo tepor animi ſpecies quædam, & infelix partus capitalis illius vitii, acedia dicti. Nam, ùt docet S. Thomas,

acce-

acedia importat quoddam tædium bene operandi, & est torpor mentis bona negligentis, inducens *quandam tristitiam, quæ ita gravat, & deprimit hominis animum, ut nihil boni ei agere libeat.* (a) Ut ipsi omnia exercitia spiritûs & virtutis quasi cruda & insipida videantur, atque in grave fastidium convertantur. Quis autem teporem, juratum illum omnis sanctimoniæ hostem, in hac tabella depictum non videat, horreatque? quis suis eum coloribus expressum non discernat?

Est enim is ex sententia S. S. Patrum vehemens quidam lethargus, quo oppressa anima, & in perfectionis semita pigre considens, tota languet, tabescit, torpet. Est febris hectica spiritum lenta tabe sensim depascens, eumque ad omnes pietatis exercitationes enervem reddens. Est aër morbidus, creans fatalem cœlestium nauseam, & spuriam terrestrium famem. Ab hoc ergo tam pestilenti morbo, ut te vel liberes, vel immunem serves,

(a) 2. 2. Q. 35. a. 1. C.

1. ſigna, quibus dignoſcatur: 2. remedia, quibus fugetur, ſuppeditabo.

I. *Ejus ſigna.*

I. Signa, quibus dignoſcatur, enumerat S. Bernardus, dum tepidos ita deſcribit: *eſt invenire in clauſtris homines puſillanimes & remiſſos, deficientes ſub onere, virga & calcaribus indigentes ob pigritiam; quorum brevis & rara collectio & compunctio ſpiritûs; quorum animalis & ſenſualis cogitatio, immodeſta & ſcandaloſa converſatio; quorum obedientia ſine devotione, ſermo ſine circumſpectione, oratio ſine debita attentione, lectio ſine ſui conſideratione; quos vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frænat ratio, vix diſciplina coërcet.* Hæc Abbas mellifluus. (b)

Clariores adhuc notas aſſignat Caſſianus; cùm ait, *tepidos religioſos facilè laborare horrore & odio loci, in quo habitant; faſtidire cubiculum, confratres aſpernari, inertes eſſe ad operandum, frequenter vagos eſſe extra domum, neglectum rerum ſpiritualium non apprehendere,*

neque

(b) Serm. ad Fratres.

neque curare: ſenſualitates ſectari, ad externa facilè effundi, impertinentibus negotiis occupari, confabulationibus otioſis eſſe addictos, monitiones ægrè ſuſcipere, & contra eas in malo magis obſirmari: impatientes eſſe diſciplinæ, patriam & cognatos inordinatè amare, familiaritatibus periculoſis miſceri. (c) His conſideratis, æquus in teipſum ac ſerius arbiter inquire, an in aliquo prædictorum reum te conſcientia arguat?

Præcipuè verò inveſtiga, 1. qua attentione meditationi vaces, cœleſti victima lites, aut ejus litationi aſſiſtas? Quo rigore tua dicta & facta quotidie gemino examine tum generali tum particulari diſcutias? Quo ardore vocales conſuetas preces, præcipuè Sacerdotales, perſolvas, ſacra exomologeſi mentem expies, ſynaxiſque reficias? Has enim pietatis actiones ſi obiter tantùm & negligenter obeas, argumentum minimè dubium erit, ad illorum te claſſem pertinere, quos DEUS jam jam *incipit evomere ex ore ſuo.* (d)

(c) Collatione 22. (d) Apoc. 3. v. 16.

2. Perquire, an non etiam tibi familiaria ſint laxa quædam tepidorum axiomata, quibus ii ſynteresis ſtimulos ſopire conantur? qualia ſunt: *non ſum amplius tyro; licet aliis, cur non & mihi. Concedendum aliquid juventæ. Ultronea ſui vexatio nocet valetudini. Præſtat cum multis errare, quàm ſolum ſapere. Inſtituti ſanctimonia eſt pia ſpeculatio. Propriæ fortunæ ſuus quisque ſit faber; hinc aulico ritu colendi ſunt illi, qui nobis prodeſſe poſſunt, vel obeſſe; horum affectionem eblanditus ſi fueris, reliquis elato ſupercilio inſultes, licet. Quisque ſeipſum curet, quia non eſt, qui curat; ideo vitanda ſedulò, & dextre in alios conjicienda illa ſunt munia, quæ commodiori vitæ, altiorive gradui obſtaculo ſunt.* Et quæ alia his ſimilia mutuata ab Epicuro apophtegmata ſunt. Enimvero ex tepentium te numero eſſe, quicunque ita loqueris, *loquela tua manifeſtum te facit;* (e) cùm hæc ethica prudentiam carnis ſapiat, non ſpiritum.

3. Denique indaga, an non otium, prolixior ſomnus, cuticulæ amor, aut nimia

(e) Matth. 26, v. 73.

nimia commodorum cura; an non inordinata eſculentorum & poculentorum, variarumque recreationum appetentia, aliaque paria his monſtra in tuo corde ſtabulentur? Ita ſi eſt, ne dubita; *quia tepidus es.* (f) quia magnus ille jacens in terra ægrotus es, qui magno pariter medico indiget, à quo ſalutaria ei remedia præſcribantur. Quorum primaria ſunt fervens manè meditatio, pia quotidie lectio, brevis quovis menſe collectio. Dixi: *primaria;* ſua enim efficacia minimè carent ſequentia, nempe fugere laxos, converſari cum fervidis, amare cubiculum, loqui religioſa, caſtigare corpus, crebriùs viſitare Numen Eucharisticum, ad horologii pulſum, utì & aliàs certos elicere virtutum actus. His nihilominus prætermiſſis, de tribus ſolùm prioribus tanquam de præcipuis hìc agere eſt animus. Nam

II. Sicut inter præcipuas perniciosiſſimi teporis cauſas cenſetur eſſe neglectus orationis ſeu meditationis quotidi- II. *Ejus remedia.*

(f) Apoc. 3. v. 16.

tidianæ; ita inter prima præstantissimaque, pellendi hoc malum, antidota est constans & indefessum hujus exercitationis studium. Cùm sine illa æquè parum fervor spiritûs, quàm sine alimentis vita corporis conservari queat. Augustini hæc comparatio est, dicentis: *sicut ex carnalibus escis alitur caro, ita ex spiritu orationis & alloquio DEI interior homo nutritur, & pascitur.* (g) Qua similitudine apertè indicat S. Doctor, quemadmodum corpori sustentando, pane quotidiano nihil sit conducentius; ita mentis ardori fovendo, nil magìs proficuum esse assiduo meditationis exercitio. Quin imò ut summam ejus vim clariùs nobis ob oculos poneret Hypponensis Præsul, mox subdit: *nec quicquam aliud est, quod vivere faciat animam rationalem, quàm cum DEO per orationis studium jugiter conversari.* (h) Quibus verbis inevitabilem ejus necessitatem luculenter demonstrat. Nam hoc ipso, quod ipso teste nil aliud sit, quod animam vivere

(g) Serm. 112. de tempore. (h) Loc. cit.

re faciat, sequitur, solam orationem esse id, per quod ea vivit.

Id quod, propria experientia doctum se esse, regius Vates testatur, dicens: *aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* (i) En! quamprimum ac isto nutrimento caruit, continuò animus aruit. Nempe quod nervi sunt corpori, sanguis animali, aurum potabile cordi, id ô anima! meditatio est tibi; ita quidem, ut *sine illa* (asserente id Augustino) *omnis via ad vitam spiritualem occlusa sit.* (l) Huic effato ipsa quoque ratio suffragatur. Nam ut animi fervor indemnis servetur, necesse est, ut intellectus veritates æternas identidem rimetur; voluntas verò ad eas in praxin deducendas perpetuò animetur; id autem fieri nequit, nisi per eam, quæ mente peragitur, orationem; quæ propterea à S. Ambrosio *animæ nostræ vitalis substantia* appellatur. (m) Inde patet, quàm præstans ea, quamque necessarium pellendo tepori adjumentum sit.

(i) Psal. 101. v. 5. (l) Tract. in Joan. c. 21. (m) Serm. 7. in Psal. 118.

Vide igitur, an quotidie mediteris *integrè* quoad tempus: *reverenter* quoad ſitum: *ferventer* quoad applicationem, ùt vocant. Inſuper indaga, an debitam huic exercitio præparationem præmittas, eoque finito illius ſucceſſum breviter examines? Num conceptum in eo propoſitum interdiu renoves, ſtatisque horis illius teſſeram repetas? Si te aliquo in puncto deprehendas defeciſſe, errata mox corrige. Cœterùm uberiorem hac de re inſtitutionem invenies parte 2. Cap. 2. §. 3.

2. Præterea inquire, an ſuum quovis die quadrantem piæ lectioni conſecres? An non etiam tu ex illorum numero ſis, qui *oculos habent, & non vident*; (n) id eſt (utì hæc Pſalmi verba exponit Victorinus à S. Richardo) qui iis non utuntur ad evolvendos tractatus pios. (o) Quorum neglectio ſicut teporis peſtilens ſcaturigo eſt; ita è contrario eorum diligens tracta-

(n) Pſal. 113. v. 5. (o) De ſommo Nabuchodonoſor.

tractatio, torpori fugando, potens remedium eſt.

Nam volumina Aſcetarum ex mente Patrum ſunt conſcientiæ morumque ſpecula, quæ corrigendas animæ labes exhibent: ſunt ſubmiſſæ cœlis literæ, digito DEI conſcriptæ, quæ ſalutis monita continent: ſunt in hoc mundi æquore phari amicæ, quæ latentes ſcopulos & ſcyllas fido lumine detegunt. Denique ſunt monitores, vitia liberè carpentes: Medici, pharmaca dextre aptantes: Archiſtrategi, nos armis ſolicitè munientes. Verbô: pio hoc exercitio tentatis fortitudo, tepidis fervor, juſtis profectus, fervidis conſtantia communicatur; præcipuè verò meditandi praxis mirè juvatur, ac promovetur. Quis ergo neget, ſanando teporis malo, excellens id antidotum eſſe? Et tale cùm ſit, quis eo uti pigretur?

Præcipuè cùm Paulus Timotheum expreſsè moneat: *attende lectioni;* (p) &

(p) Tim. 1. v. 4.

& Hieronymus ad Celantiam ſcribat: *unum, illud tibi præ omnibus prædico, & repeto; illud iterum iterúmque moneo, ut animum tuum ſacræ lectionis ſtudiò aſſiduè occupes; maximum enim ad omnem juſtitiæ perfectionem medium eſt.* (q)

Optatum autem ut inde referas fructum, perpende ſedulò, quales & quomodo perlegas libros. Nam non quivis, cuivis, ad quodvis propoſitum ſemper idoneus & conveniens eſt. Singulari proin delectu hìc opus erit. Illi præ aliis ſunt eligendi, qui præſenti, qua potiſſimùm laboras, neceſſitati curandæ, aptiores ſunt: qui plus habent unctionis quàm eruditionis; id eſt, qui non tam intellectum delectent, & ingenium paſcant; quàm affectum inflamment, & moveant voluntatem. Qui appetituum coërcitionem perſuadeant, vitiorum odium ac virtutum amorem inſtillent.

Nam (ùt monet Bernardus) *qui ad legendum accedit, non tam quærat, oportet*

(q) Epiſt. ad Celantiam.

tet scientiam quàm saporem. (r) Rationem assignat S. Hieronymus dicens: *finis enim legendi pia & sacra, non est scire, sed agere: non loqui, sed proficere; nihil enim prodest, agenda didicisse; si quæ didicimus, non agamus.* (s) & *DEUS* (Augustino teste) *legem suam non solùm vult sciri, sed etiam adimpleri.* (t) Unde bene concludit Thomas à Kempis, sic scribens: *potius ergo debemus quærere utilitatem in scripturis quàm subtilitatem.* (u)

Quare mihi non admodum probantur adversaria, seu vulgò notata, quæ ex lectis Ascetarum libris, tempore iisdem evolvendis destinato, excerpuntur. Id enim plus habet de litera quàm de spiritu, redditque lectionem potius scholasticam quàm spiritalem. Lege, ut fias sanctior, non ut doctior. Nam (ùt appositè notat Hugo Victorinus) *Philosopho Christiano lectio debet esse exhortatio, non eruditio.* (x)

Porro

(r) In speculo Monach. (s) Epist. ad Celant. (t) Epist. 143. ad Demetr. Virg. (u) L. 1. c. 5. n. 1. de imit. Christi. (x) Lib. 3. de claust. animæ c. 12.

Porro ad legendi modum quod attinet, huic actioni vacandum erit *attentè, religiosè, constanter.* Qualis quantaque attentio eandem animare oporteat, declarat Augustinus, dicens: *optimè uteris lectione divina, si eam tibi adhibeas speculi vice, ut ibi anima velut ad imaginem suam respiciat, & vel fœda quæque corrigat, vel pulchra plus ornet.* (y) Id autem ut fiat, illud ipsum quod à DEO Joanni, etiam tibi dictum existima: nempe *accipe librum, & devora illum,* (z) atque in viscera tua demitte. Hoc autem ut rite præstes, auctore Gregorio Magno duo requiruntur, 1. *ut consideratè legas,* 2. *ut lecta tibi aptes.* (aa)

Imprimis ergo ejusmodi volumina non festinanter & cursim, instar canis Nilum lambentis, sunt percurrenda; sed expendenda sunt cum magna mentis consideratione, & cum aliqua subin interposita quiete, gallinas bibentes imitando, ut divinæ motioni locus detur.

(y) Epist. 143. ad Virg. Demetr. (z) Apoc. 10. v. 9. (aa) In Apoc. c. 10.

tur. Dein documenta inde hauſta inſuper nobis applicanda, noſtrosque in uſus derivanda erunt, practica inter legendum, lectisque conſentanea concipiendo propoſita, eaque ordinando nunc ad hos vel illos virtutum actus exercendos: modò ad hos vel illos defectus emendandos; aut ad officia noſtra & munia perfectiùs obeunda.

Scrutare jam, quomodo circa iſta te habeas? Examina, num tua lectio more lenis pluviæ ſenſim humectando mentem fœcundet? vel an non potius torrentis inſtar ſterili ſtrepitu memoriam ſolùm inundet? An cum matura quadam perceptæ rei diſcuſſione te identidem reflectas, quomodo data ibi monita ſint executioni mandanda? In ſumma: perpende, an non etiam tu ſimilis ſis *viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo*, qui, poſtquam *conſideravit ſe*, *abiit*, *& ſtatim* omnium *oblitus*, manet, *qualis fuit*. (bb) Saltem cave, ne talis modò ſis, dum hæc legis.

Qua

(bb) Jacob. 1. v. 23.

Qua verò corporis modestia & mentis pietate exercitatio hæc obeunda sit, ut *religiosè* peragatur, iterum docet Augustinus, dum ait: *ita scripturas sanctas lege, ut semper memineris, DEI illa verba esse.* (cc) *Sunt enim quasi literæ de patria nostra nobis submissæ.* (dd) Quin imò teste S. Ambrosio, ipsum *Christum nobis loquentem audimus, cùm divina legimus oracula.* (ee) Hinc situ modesto, levatoque in cœlos animo huic negotio vacandum erit; variique affectus pii sanctaque desideria ei identidem immiscenda.

Denique, *constans* sit hoc exercitium, oportet tum quoad *modum*, tum quoad *tempus*. Inprimis cavendum, ne instar apis ab uno volumine aut voluminis folio ad aliud desultoria levitate transiliamus. Sed unus idemque liber ab initio ad calcem usque constanter evolvendus erit. Secus plus distractionis quàm utilitatis inde hauriemus. Fastidien-

(cc) Epist. 143. ad Virg. Demetr. (dd) Serm. 56. ad Fratres in eremo. (ee) Lib. 1. Offic. c. 20.

ſtidientis enim ſtomachi indicium eſt, ait Seneca, multa & varia deguſtare.

Dein certum *temporis* ſpatium, quod huic functioni ſtata lege nulla non die ſacroſanctè impendas, cogitatò deſigna. Eandem mox meditationi ſubjunxiſſe, conſultiſſimum erit. Quadrantem verò eidem impendiſſe adeò nimium non eſt, ut Hieronymo potius nimis parum videatur, utpote qui ſummam hac in re aſſiduitatem petit; cùm cupiat, *ut tenenti Codicem ſomnus obrepat, & cadentem faciem pagina ſancta ſuſcipiat.* (ff) quamvìs hæc verba cum grano ſalis ſint intelligenda; cùm ex ejus mente vitandus hìc alius quoque ſcopulus occurrat, videlicet ut legendi aviditate abrepti, non æquo prolixiùs eidem inhæreamus; ne ſcilicet ſatietas faſtidium pariat. Hinc idem S. Doctor monet, ut *ſit lectio temperata, cui finem conſilium, non laſſitudo imponat.* (gg) Itaque determina, quàm attentè, religiosè, conſtanter, quamdiu & qua hora ſacræ huic occupationi deinceps vacare ſta-

(ff) Epiſt. ad Paulam. (gg) Ep. ad Euſtoch.

tuas, utpote quæ aptissimum, fugando languori, remedium est. Cùm S. S. Patres illam orationi æquiparent, concioni præhabeant, cibum animæ, lumen & vitam nominent; eamque nobis S. Patriarcha Ignatius velut rem maximi momenti summo verborum pondere commendet, inculcetque.

3. Denique cùm brevis quolibet mense animi collectio ex mente Ascetarum ac experientia teste sit optimum, profligandi teporis, & acquirendi fervoris, subsidium, animo constitue, an & quo die hoc tam salubri adiumento uti decernas? Geminas horas (nam plures non peto, unam scilicet pro consueta aliàs matutina meditatione; alteram verò partim pro instituendo pridie examine statûs, partim pro obeunda altero die accommoda consideratione) duas, inquam, has horulas, reliquis negotiis subtractas, DEUS meliori eorundem successu, aliisque cœlestibus beneficiis certò & abunde compensabit. Ne igitur te pigeat, paucula hæc momenta animæ, æternitati,

DEO

DEO consecrare, qui tot dies, menses & annos corpori, nugis & otio tam prodigè impendis.

Plura hìc argumenta, quibus id persuadeam, hujusque recessûs medicam vim demonstrem, referre supersedeo; cùm hanc materiam parte 2. cap. 6. separatim tractem. Plurimùm quidem adhuc hanc in rem conferret, & ad exterminandum languorem, conduceret generosa sui & spontanea corporis castigatio; cùm hoc genus armorum mira virtute polleat, ad fugandum hujus ægritudinis fautorem orcum. Verùm cùm negotium mihi cum tepido sit, cui sola horum mentio horrorem creat, ab eorum tractatione prudens abstineo.

Cœterùm relata superiùs documenta, qui in usum redegerit, is ab omni tepore liber, insuper tartaro se formidandum reddet. Nam (Abbatis Pimenii sententia est) *sicut ad succensam ollam muscæ non appropinquant; si verò tepida fuerit, insident in ea, & faciunt*

vermes ; ita & animam, divini amoris igne ſuccenſam, & ferventem fugiunt dæmones ; tepidam verò illudunt, & inſequuntur. (hh) Quicunque ergo ſtygi ludibrio eſſe horret, mentis torporem execretur, & allatis *remediis* ita utatur, ut nulla hujus peſtis *ſigna* in illo unquam notentur.

(hh) Ruffin. l. 3. n. 204.

CAP. III.

CAPUT III.

DE GRATIARUM ABUSU.

QUod cibus corpori, id gratia eſt animæ. Sicut ergo alimentorum neglectio eſt hominis perditio; ita & neglectus gratiæ virtutis exterminium eſt. Niſi enim intellectus ſupernè illuſtretur, & voluntas cœlitus excitetur, in perfectionis ſemita nec paſſum promovebis. Inde colligere licet, quàm magnum earundem abuſus acquirendæ ſanctitudinis obſtaculum ſit. Ne igitur tam potenti remora in cœpto curſu retardemur, rei I. indignitas, II. pœna nobis terrori erunt, & horrori.

§. I.

Ejus Indignitas.

I. SUmma eſt gratiæ *neceſſitas* ad patrandum quodvis opus ſalutare, quod mercedis ſempiternæ meritorium ſit.

I. *Suma eſt gratiæ neceſſitas.*

ſit. Dogma id fidei eſt contra Pelagianos & Semi-Pelagianos ab Eccleſia definitum, (a) fundatumque in illo Chriſti enuntiato: *ſine me*, nempe ſine meo excitante auxilio, *nihil poteſtis facere*, (b) quod vitam æternam promereatur. Idem Philippenſes & Corinthios docet gentium Doctor Paulus, eisdem ſcribens in hanc ſententiam: *DEUS eſt, qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* (c) *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex DEO eſt.* (d)

Quibus verbis ſecundùm interpretationem Patrum (e) Apoſtolus orbi ſigni-

„ (a) Conc. Araufica. II. ca. 7. cujus hæc ſunt „ verba: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, aut eligere poſſe confirmet abſque illuminatione & inſpiratione Spiritûs Sancti, hæretico fallitur ſpiritu.* Item Conc. Trid. ſeſs. 6. can. 3. *ſi quis dixerit ſine præveniente Spiritûs Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.*

(b) Joan. 15. v. 5. (c) Philip. 2. v. 13. (d) 2. Cor. 3. v. 5. (e) S. Hierony. l. 3. contra Pelag. S. Greg. M. hom. 9. in Ezech. S. Aug. l. de gratia Chriſti cap. 26. ubi ait: *nihil omnino bonâ ſine gratia fieri poſſe, non dubites.*

significat, nos sine interna præveniente gratia non posse velle, agere, vel etiam incipere ullum naturæ vires superans opus. Quin imò, testante Augustino, (f) sine ea proprio marte ne quidem orare pro ea, nec ad eam nos disponere possumus. Tanta, tam universalis & absoluta divini auxilii necessitas est. Illud ergo qui oblatum negligit, remedium summè necessarium ad salutariter operandum, temerè abjicit.

Proin ô improvide! dum ejusmodi motionem rejicis, clavem projicis, qua sola (secundùm speciem spectata) cœli janua aperitur: talentum prodigis, quo solo immortalis corona comparatur: gemmam dilapidas, qua sola ipse DEUS emitur. Et rides? eoque tempore rides, quo de neglecto tenui lucro, de perdito vili numismate, de jactura rei supervacaneæ doles. At veniet hora, quo tam impudentem abusum amarè deflebis, triste ingemiscendo: *cùm potui, nolui.*

(f) Aug. Epist. 194. n. 16.

Et profectò quæ hæc temeritas! ſcire, ſine actu ſalutari neminem adultum fore ſalvandum: fateri, nullam ejusmodi actionem ſine cœleſti adjutorio elici poſſe: hæc omnia fide divina inſuper credere; & tamen unicum hoc remedium, ſummè neceſſarium hoc adjumentum, ultro oblatum, quin & obtruſum negligere, averſari, repellere; idque per riſum, nemine minis impellente, ex mera oſcitatione; hæc certè ejus generis indignitas eſt, quæ DEI pupillam lædit, & infinitæ largitatis fontem jure obſtruit.

O *Pater luminum!* (g) heu! quid feci, illi dum inſtinctui rebellis reſtiti? Ah! ego ſedens *in tenebroſis & umbra mortis*, (h) illam lucem repuli, qua ſola lethales tenebræ fugari poterant. Ego; percuſſus *ulcere peſſimo à planta pedis usque ad verticem*, (i) illud pharmacum reſpui, quo ſolo ſanari quiveram. Radium æternitatis, pretium ſanguinis Chriſti, pignus beatitudi-

(g) Jacob. 2. v. 17. (h) Pſal. 87. v. 7.
(i) Job. 2. v. 7.

tudinis æternæ imprudens contempsi. At pœnitet! .... Fac ô Domine! ut saltem præsenti huic, quæ fors ultima est, gratiæ constanti fidelitate respondeam.

II. Insuper summa est gratiæ *dignitas*. Nam est bonum, immensùm excedens omnes terrenas opes, & præstantius quid omni illo, quod DEUS aut divinum non est. Merces est laborum, vulnerum, ac mortis Christi: nostrorum meritorum felix principium est, incrementum & prœmium: est semen gloriæ æternæ; justus enim, qui transeunti auxilio docili mente obsecundat, is cum illo supernæ virtutis actum exercendo, novum inhærentis gratiæ additamentum acquirit; cuilibet autem ejusmodi gradui respondet quoque gradus gloriæ sempiternùm duraturæ. (1) Quilibet ergo immissus à cœlo radius est auspicatum initium totidem æternitatum omnis excogitandæ felici-

II. *Summa est ejus dignitas.*

(1) Conc. Arausic. II. can. 18. Trident. sess. 6. c. 16. & can. 32.

felicitatis. Quid auguſtius ſublimiusque dici poſſit?

In cumulum conjice omnes totius orbis excellentias, principum diademata, regumque majeſtates. His pretium adde omnium terra mariique latentium gemmarum ac theſaurorum, iſtis præterea adjunge omnem ſolis, auroræ, ac ſtellarum lucidiſſimam pulchritudinem; & en! minima cœleſtis illuſtratio, unica mentis divina motio eminenti intervallo longè excellentius quid, pretioſius ac pulchrius eſt. Quid ergo indignius, quàm inæſtimabile hoc donum, æthereum hunc fructum, incomprehenſam hanc gloriæ ſementem tam prodigè abjicere; idque propter nihil, ſine remorſu, per jocum, plus dolendo de jactura vilis reculæ quàm gratiæ?

Si dœmonibus vel unicum ex innumeris illis, quæ nos tam protervè contemnimus, auxiliis concederetur, quanta fidelitate eidem auſcultarent? Pro eorum unico mille inferos lubedine ma-

xima

xima tolerarent, si his illud mercari possent. Soli nos mortales, licèt hujusmodi donorum summè indigi simus, illorum tamen maximè incuriosi vivimus, & ultro obtrusa obstinato contemptu negligimus.

Et hoc agunt (obstupescite ô cœli!) non educati in sylvis barbari, qui de his rebus nil unquam audierunt; sed Christiani, imò & Religiosi, qui *enutriti verbis fidei*, (m) sciunt, & credunt summam esse non solùm gratiæ necessitatem, sed insuper præstantiam & excelsitatem. At væ nobis! si ejus meritum tunc primùm æstimare inceperimus, quando ea carebimus.

O cœlestis Samaritane! ego ille infelix sum, qui Jerichuntem profugus *incidi in latrones, semivivus plagis impositis relictus;* (n) ego ille *cœcus sedens secus viam* justitiæ, (o) *qui lumen cœli non video;* (p) tu vulneribus oleum, oculis collyrium, & quidem pretio infini-

(m) 1. Tim. 4. v. 6. (n) Luc. 10. v. 30. (o) Luc. 18. v. 35. (p) Tob. 5. v. 12.

finitum, utpote tuo ſanguine comparatum, ultro idque ſœpius offers, & ego, vah probrum! medicam uſque pertinax repello manum, meis miſeriis imputreſcere malens.

Sed meæ me pudet malitiæ. Tu Domine, qui *amictus es lumine ſicut veſtimento*, (q) *illumina oculos meos*, (r) ut agnoſcam excitantis gratiæ divinam dignitatem. Fac, ut *præponam illam regnis & ſedibus, & divitias nihil eſſe ducam in comparatione illius.* Da, ut firmiter credam, *quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimem argentum in conſpectu illius.* (s)

III. *Magna ejus eſt copia, & efficacia.*

III. Præterea gratiæ nobis collatæ ſunt *magnæ*, nempe vocatio ad fidem Romanam, ſtatumque Religioſum: electio ad ſacerdotii dignitatem & animarum curam: nec non tyrocinium, annuus octo dierum ſeceſſus, geminæ quot annis animi collectiones, frequens

(q) Pſal. 103. v. 2. (r) Pſal. 12. v. 15.
(s) Sapient. 7. v. 8. & 9.

quens adeò sacrorum mysteriorum usus, haustusque inde fructus. Insuper sunt *continuæ*, quotidiana scilicet sacrificia, meditationes, examina, lectiones, exempla, adhortationes, & horarii instinctus interni.

Denique sunt *efficaces* in se & quoad suam, ùt Theologi loquuntur, congruitatem spectatæ; cùm hæ ipsæ numero gratiæ, si aliis collatæ fuissent, maximos ex iis sanctos effecissent, ac convertendis ad frugem sceleratissimis hominibus efficienter suffecissent; quæque ideo solùm in nobis suo effectu carituræ à DEO sunt provisæ, quia liberè à nobis repudiantur. Proin auxiliis tam magnis, tam continuis, & in se tam efficacibus tamen resistere: eáque propter nihil, ex mera petulantia, per jocum contemnere: viliori loco cœlestes has gemmas ac vitrum habere; id enimvero, eorum abusum malitiosissimum reddit.

Itaque *væ tibi Corozain! væ tibi Bethsaida!* væ tibi Religiose! *quia si* in aliis

factæ

factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, ad magnam perfectionem pervenissent. (t) In die judicii *venient ab Oriente & Occidente* (u) Tureæ & hæretici; surgent tui illi discipuli, pœnitentes & auditores tui, quos ad fidelem gratiæ usum animasti; surgent, inquam, & accusabunt te de tam horrendo earundem despicatu. Vindictam à te exiget suo fine frustratus sanguis Christi, utpote quo is tibi tot spretas à te illustrationes & instinctus comparavit.

O miser! quid olim respondebis Divino Judici, dum orbem universum contestando, minaci voce dicet: *nunc ergo habitatores* cœlestis *Jerusalem, judicate inter me & vineam meam.* Edicite, *quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ*, animæ huic, *& non feci?* post tot impensos illi favores, an non jure *exspectavi, ut faceret uvas?* & en! *fecit labruscas.* (x) Tot curis, laboribus, & vigiliis non nisi vepres ingrata rependit.

(t) Luc. 11. v. 13. (u) Matth. 8. v. 11.
(x) Isai. 5. v. 4. & 5.

pendit. Ad hæc quæ tibi tunc mens erit?

O Domine, *ne intres in judicium cum servo tuo!* (y) Fateor, ego sum illa infelix terra, arida, petrosa, spinis horrida, cui hactenus immissum gratiæ semen *vel conculcatum* evanuit, *vel natum aruit*, vel *ab exortis simul spinis suffocatum* interiit. (z) Ego illa sterilis ficulnea, (aa) assiduè culta, solicitè rigata, tot radiis fota, & tamen fructibus semper vacua. At illusum satis est. Tandem finem faciam resistendi, ne Tu initium facias puniendi. *Da ergo servo tuo cor docile*, (bb) *ne in vacuum gratiam* posthac *recipiam.* (cc) Fac, ut deinceps illius semen cadat *in terram bonam*, *& ortum faciat fructum centuplum.* (dd)

§. II.

(y) Psal. 142. v. 2. (z) Matth. 8. v. 5. (aa) Luc. 13. v. 7. (bb) 3. Reg. 3. v. 9. (cc) 2. Cor. 6. v. 1. (dd) Luc. 8. v. 8.

§. II.

Ejus pœna.

I. *Gratiæ subtractio est pœna terribilissima.*

I. Pœna, gratiis merè sufficientibus abutenti, infligi solita, est efficacium subtractio. Et hæc est ultionum omnium terribilissima, justissima, ordinaria. Inprimis est *terribilissima*; quod sic ostendo. Castigatio omnium in hoc mundo terribilissima & maxima est illa, quæ nos omnium maximè abducit à summo Bono nempe DEO; & quæ nos omnium proximiùs conjungit cum summo malo nempe peccato & orco. Id autem facit gratiarum efficacium subtractio; hæ enim ex Numinis decreto sunt medium simpliciter necessarium ad operandam salutem, sine quo nunquam possidebitur DEUS, nec vitabitur tartarus. Cum merè sufficientibus possumus quidem salvari; sed reipsa nunquam salvabimur, certò peccabimus, certò damnabimur. Ergo priorum ademptio nos à Summo Bono nempe DEO ac cœlo omnium maximè abducit; contrà verò summo malo scilicet pec-

cato

cato & inferis proximè conjungit, sociatque; adeoque est omnium terribilissima maximaque in hoc mundo pœna. Nam ipsa etiam mors in gravi noxa, quæ procul dubio omnium in hac vita calamitatum facilè princeps est, jam involvit negationem auxilii efficientis, ut quis per prævium dolorem vel amorem fiat amicus DEI.

Accedit, quod omnium judicio illud supplicium censeatur esse gravissimum, quod hominem in malitia magis obfirmat, excœcando scilicet illius intellectum, ne periculosum animæ statum agnoscat; & ligando voluntatem, ne ex illo se extricare velit: quod ex una parte peccatori potentiora resipiscendi remedia subtrahit; contrà verò viam ad maxima scelera complanat, facilem & expeditam reddit. Jam verò id facit dictorum luminum motuumque negatio.

Nam, quando nos Numen infamia premit, morbis cruciat, vexationibus affligit; plaga quidem est, sed summa

non eſt; quia his nos à malo avertere, & ad ſe convertere ſatagit; patrem tunc, non judicem aut vindicem agit, qui peccantis correctionem per peccati ultionem intendat. At verò dum intellectum peccatoris in ſua cœcitate obfirmat, & voluntatem in ſua pravitate indurat; dum illuſtrationes negat, quæ vitii fœditatem detegant; & divinos inſtinctus adimit, qui ad illud deteſtandum moveant; dum (ùt ait Auguſtinus) *ſpargit pœnales cœcitates ſuper illicitas voluptates eorum*, & *illos tradit in deſideria cordis eorum: in paſſiones ignominiæ;* (a) tunc enimvero ſævit *quaſi urſa raptis catulis;* (b) tunc omnipotens furor ejus *plaga inſanabili*, (c) *plaga inimici, caſtigatione crudeli percutit;* (d) & quidem tali, qua terribiliori in hac vita punire haud poſſet.

O verè pœnam horribilem! O iracundiam ſine miſericordia, *cujus conſummatio in combuſtionem!* (e) *O DEUS ultio-*

(a) Rom. 1. v. 24. & 26. (b) Oſee 13. v. 8. (c) Iſa. 14. v. 6. (d) Jerem. 30. v. 14. (e) Hebr. 6. v. 8.

ultionum! (f) Ah! *ne in* hac *ira tua corripias me.* (g) ure hìc, & seca, afflige, & crucia; dummodo gratiam tuam non auferas à me. *Volo, irascaris mihi, Pater misericordiarum! sed illa ira, qua corrigis devium, non qua extrudis de via.* (h)

II. Præterea est pœna *justissima.* Nam gratia amoris tessera est, qua cœlestis Sponsus, stans ad ostium cordis humani, amicè pulsat, intromitti petens, ac urgens. Non aperis, ejus voci aures occludis, ingressum negas. Fessus tandem pulsando Dominus urgere cessat, & contemptus abit. Quid justius? Gratia fax est lucens, & ardens, cujus lumine DEUS intellectum illustrare, & radiis voluntatem inflammare cupit. Tu cordis fenestras claudis, non nisi umbras quæris, ac instar noctuæ ejus calorem & lucem fugis. Ergo tandem Justitiæ Sol, votis toties frustratus, lucere desinit, ac radios occulit. Quid æquius? II. *Justissima.*

(f) *Psal.* 93. v. 1. (g) *Psal.* 6. v. 2. (h) Bernardus Serm. 42. in Cant.

Gratia eſt donum inæſtimabile : eſt gemma coronæ Chriſti : eſt pignus æternæ gloriæ. Divinus Pater ultro id offert, quin & obtrudit ; ut acceptes, etiam flagitat, idque repetitò, poſt iteratas repulſas. Tu verò hoc donum reſpuis, hanc gemmam accipere renuis, hoc pignus flocci pendis. Tandem ergo Divinitatis Majeſtas toties ſpreta illud offerre deſinit, & obtrudere ceſſat. Quis iniquum id dicet? An non ergo gratiæ toties abjectæ privatio juſtiſſima ultio eſt ?

O vindex Numen ! eſt utique, eſt juſtiſſima. Millies eam promeritus ſum. Ego enim ſum illa infelix Jeruſalem, quam toties voluiſti *congregare, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas*, (i) & nolui. Hinc jure vereor, ne tandem & *mea domus mihi relinquatur deſerta.* (l) Hoc ſalutari timore confixus à tribunali Juſtitiæ confugio ad thronum Clementiæ. Parce meliora ſpondenti. Quacunque alia volueris plaga, ſolùm iſta ne punias me. III. Eſt

(i) Matth. 23, v. 37. (l) Ibid. v. 38.

III. Est denique *ordinaria.* Nullum supplicii genus irata Nemesis in sacris paginis per Moysen, Vates & regium Psalten sæpius interminatur, quàm hanc ipsam cœlestis adjutorii ademptionem: *dimisi eos secundùm desideria cordis eorum: ibunt in adinventionibus suis:* (m) *excœcavit oculos eorum, & induravit cor eorum,* (n) *ut videntes non videant, & audientes non intelligant:* (o) *auferetur à vobis regnum DEI*; (p) hæc & similia divini furoris fulgura in sacris literis passim in legentium oculos incurrunt. Ipsa, quæ sacri Historiographi recensent, exempla abunde probant, hanc auxiliorum efficacium negationem in veteri & nova lege communem, ordinariam ac nimis quàm frequentem fuisse. Quin imò etiam nunc frequentissima est. III. *Ordinaria.*

Sæpe miramur, quod omnituens Numen tot tepidos tam patienter sustineat, qui insuper habitis tot mediis, tamen tam parum adimplent obliga-

(m) Psal. 80. v. 13. (n) Joan. 12. v. 40. (o) Marc. 4. v. 12. (p) Matth. 21. v. 43.

tiones ſui ſtatûs; ſuisque diſſolutis moribus domeſticis probro, exteris offendiculo ſunt. Ah! ait Auguſtinus, DEUS ſecreta eos ultione punit, eò graviori, quò occultiori; dum gratias iis ſubtrahit, ac ſuo tepori quietos indormire ſinit.

Unde fit, ut illi ipſi, quos olim vel umbrà noxæ terruit, modò neglectui habeant periculoſas cogitationes, tactus & aſpectus; ut inter levia numerent animi averſiones, amicitias, familiaritates, odia, ſuſurrationes, iras, & detractiones, de quibus jure dubites, an non ſint lethales; ut graves injuncti muneris neglectiones, votorum violationes, & ortos inde aculeos tanquam inanes ſcrupulos explodant, & varia ſibi ſophismata forment, quibus doloſè oblatrantem conſcientiam ſopire conantur. Mentes, quæ olim ad bonum fuerant cereæ, & quovis pio motu flexiles, nunc petra duriores & ſilice ſicciores noviſſimorum memoria, DEI judiciis, Eccleſiæ religionibus nil anguntur, moventur, emendantur.

Uti-

Utinam hæc satis ordinaria etiam in cœnobiis esse, tristis experientia non doceret. O quoties etiam ibi ingemiscere licet: heu! *quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus:* en! *qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora:* &, qui erant *Nazaræi candidiores nive,* ah! quomodo *denigrata est super carbones facies eorum.* (q) Solùm oculos nonnihil circumferamus, ac plurima eaque viva allatæ veritatis testimonia conspiciemus. Et demum prô dolor! quid aliud sunt illi graviores lapsus & ruinæ; quid illæ Ordinum desertiones ac subin omnino defectiones à fide, quàm totidem tristia subtractæ gratiæ monumenta, à divina Nemesi nostra ætate, ut nobis terrori forent, hinc atque illinc erecta?

Nos ipsi mentis intima scrutemur, & videamus, an non etiam nos hanc auxiliorum subtractionem variis in occasionibus jam experti fuerimus? Argumento sint sacra exercitia, animi

(q) Thren. 4. v. 1. & seq.

collectiones, tyrocinii curriculum, aliique ejusmodi dies salutis; an non fateri cogimur, plurimas nunc nobis illustrationes piasque motiones ab illo tempore fuisse ademptas, ex quo unà cum illis operari negleximus? Nempe *DEUS non irridetur;* (r) deferentes se, tandem & ipse deserit.

Proin cave ô anima! ne quod aliis, etiam tibi eveniat. Nam *ultor Dominus* (s) *arcum suum jam tetendit*, (t) *& exacuit sicut fulgur gladium suum.* (u) Forsitan res in eo jam est, ut destinata tibi favorum catena, virtutis stola, & gloriæ corona à te ablata, alteri conferatur digniori te. Itaque time; nam *DEI judicia abyssus multa;* (x) licèt enim hæc castigatio omnium terribilissima sit, ordinaria tamen, simulque justissima est. (y)

O *DEUS magne & terribilis! timor & tremor venerunt super me.* (z) Metuo, ah!

(r) Gal. 6. v. 7. (s) Jerem. 51. v. 56. (t) Psal. 7. v. 13. (u) Deut. 32. v. 41. (x) Psal. 35. v. 7. (y) Dan. 9. v. 4. (z) Psal. 54. v. 6.

ah! metuo, ne me eodem quo Saulem fulmine feriendo, etiam mihi dicas: *pro eo quod abiecisti sermonem meum, abieci te,* (aa) & tui loco alium *quæsivi mihi virum juxta cor meum,* (bb) paratamque tibi donorum seriem *tradidi proximo tuo meliori te.* (cc) Vereor, ne in pœnam tam projecti abusûs *auferatur à me regnum DEI, detúrque genti,* (animæ) *facienti fructus ejus.* (dd) Ah! quis non totis artubus contremiscat? dum Heli Samuelem, Sauli Davidem, Judæ Mathiam in regno gratiæ subrogatos legit. Nam, *si hæc in viridi, quid in arido?* (ee) si hæc pontifici, regi, discipulo? quid mihi fiet? Vah! infelix momentum, quo illi impulsui restiti. Ah! inæstimabilis thesauri irreparabilem jacturam feci.

Quis ergo dabit oculis meis fontem lacrymarum, (ff) quêis defleam tam flagitiosum divinæ bonitatis contemptum?

(aa) 1. Reg. 15. v. 23. (bb) 1. Reg. 13. v. 14. (cc) Ibid. v. 28. (dd) Matth. 21. v. 43. (ee) Lucæ 23. v. 31. (ff) Jerem. 9. v. 1.

Utinam neglecta redirent lumina! ô quàm fideliùs his auſcultarem! Indignus quidem ſum, ô *DEUS miſerationum!* (gg) cui vel unicum denuo auxilium conferas. Quia tamen etiam tunc, *cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis*, (hh) ſpero ab infinita clementia tua victricem gratiam, quæ vitæ priori finem, & ſanctiori initium faciat.

§. III.

Regulæ divinos inſtinctus dignoſcendi, iisque auſcultandi modus.

GRatiarum abuſûs quàm horrenda indignitas, quamque terribilis ſit, qua plecti conſuevit, pœna, paulò ante, mutuatis ex orco carbonibus, ita adumbravi, ut nullus dubitem, quin firmiter decreveris, divinis ejusmodi vocibus morigeras poſthac aures te præbiturum. Proinde ſolùm ſupereſſe videtur, ut te paucis edoceam 1. artem eas dignoſcendi, 2. modum docili

(gg) 2. Eſdr. 9. v. 31. (hh) Habac. 3. v. 2.

docili mente iisdem obsecundandi; 3. adjectis hunc in finem novis incitamentis.

I. Primò itaque ut faciliùs divinos instinctus rite cognoscas, sequentes adhibe industrias. Inprimis animi collectioni interdiu stude, ut represso affectionum tumultu, Divini Pneumatis susurros faciliùs percipias. Quàm parum enim ac *in malevolam animam*, æquè parum in dissipatam *introibit sapientia*, (A) Spiritûs Sancti magisterio docenda; nec Jaïri filia excitantem Christi vocem priùs audiit, quàm is ejectam domo *turbam tumultuantem* vidit. (a) Dein geminos eosque juratos cœlestis afflatûs hostes nempe cuticulæ amorem & animi teporem pro viribus excute. Ille enim intellectui nebulam objicit; hic voluntati compedes injicit; quo fit, ut gratiæ ductum nec ille cognoscat, nec hic sequatur. Denique sæpius præsertim sub meditatione, & post exceptum cordis hospitio Numen Eucharisticum

I. *Regulæ divinos instinctus dignoscendi.*

(A) Sap. 1. v. 4. (a) Matth. 9. v. 23.

cum, cum Saulo exclama: *Domine, quid me vis facere?* (b) Ne dubita; grandia non rarò verba tibi loquetur DEUS, quibus notam faciet voluntatem ſuam.

Ne verò hoc in negotio *transfigurans ſe Satanas in Angelum lucis*, (c) boniſque larvam prætexens, fallaces tibi pedicas ſtruat, illud Joannis Apoſtoli monitum tibi habeas apprimè commendatum: *nolite credere omni ſpiritui; ſed probate ſpiritus, ſi ex DEO ſint.* (d) Idcirco regularum de diſcernendis ſpiritibus hoc tibi compendium habe.

1. Attende, num hi, quibus impelleris, motus animum conſolatione, lætitia, pace repleant, magisque te ad ſectandam perfectionem accendant? vel num è contrario potiùs mentem diſtractionibus, turbatione, nauſea, tædio, triſtitia obruant: pravas motiones excitent, teque in virtutis ſtudio

(b) Act. 9. v. 6. (c) 2. Cor. 11. v. 14.
(d) 1. Joan. 4. v. 1.

dio tepescere faciant? Posterioris notæ impulsus dœmonem habere auctorem in comperto est. Nam teste Elia *non est in commotione Dominus;* (e) *cùm sit DEUS consolationis, DEUS pacis,* (f) *formans lucem,* & fugans *tenebras.* (g)

2. Adverte, num sentias tibi ab Omnipotente promitti tantum pecuniæ spiritalis seu virium, quantum ad exequendum, quod moliris, opus exigetur; *ne, posteaquam posueris fundamentum, & non potueris perficere, omnes, qui vident, incipiant illudere tibi, dicentes: quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* (h) Ejusmodi autem superna pollicitatio, opisque suffecturæ spes divinæ vocis indicium est. 3. Nota, num hi instinctus perseverent, pergantque semper & constanter te incitare ad bonum? Nam inconstantia signum mali est & levis spiritûs, *qui similis fluctui maris à vento movetur, & circumfertur.* (i)

Præ-

(e) 3. Reg. 19. v. 11. (f) 1. Cor. 1. v. 3. Item cap. 13. v. 11. (g) Isa. 45. v. 7. (h) Luc. 14. v. 29. & 30. (i) Jacob. 1. v. 6.

Præterea (ùt Author nobis S. Ignatius eſt) obſervabis quoque principium, medium, & finem horum animi motuum. Eorum *initium* ſeu originem quod attinet, animadverte, num eosdem ſentire incipias, quando fervore accenſus, conſolatione perfuſus, pace beatus, ſuavi malacia frueris? vel num aſſurgant tempore amaritudinis, triſtitiæ, teporis vel alterius pravæ affectionis, quæ rebelli tumultu animi regnum turbet. Item num tempore non ſuo, ſed impertinenti in animam irruant? dum nempe alio opere vel negotio, ab obedientia injuncto, occuparis, quocum hæ motiones non ſolùm nullam habeant connexionem, ſed nec combinari queant; ita ut ei rite exequendo, impedimento ſint? Præpoſterus ejusmodi impetus è cœlo non eſt; cùm nil cœleſte heteroclyton ſit.

Dein *medio* tempore, quo tales impulſus durant, obſerva, num interiori quiete voluntatem tranquillent, & intellectum ſuperna claritate illuſtrent?

vel

vel an potiùs hunc tenebris obscurent; illam verò tædiis inquietent? Denique sub eorum *finem* attende, num menti infixum relinquant salutarem stimulum, qui te impellat ad perfectionis semitam alacriùs decurrendam, ad actiones quotidianas perfectiùs peragendas, ad refrænandos sensus, mentisque collectionem accuratiùs conservandam? vel num te cœlestium nausea, virtutis fastidio, tristique acedia afficiant, dissipent, affligant, tepidumque reddant? Primum boni erit genii; alterum verò mali indicium.

Nam (ùt sapienter notat S. Bernardus) *anima bono spiritu interiùs afflata, sanctæ inspirationis certa habet indicia, fervorem scilicet, pacem & humilitatem.* (1) Si enim demissum te, ferventem, pacatum & magis indifferentem reddant, genuinum id aurum esse indubius judica. Præterea cœlestes instinctus Sacræ Paginæ & Theologiæ placitis, receptis Ecclesiæ moribus, familiæ religiosæ usibus, statûs nostri obligatio-

(1) Serm. 32. in Cant.

gationibus & ministeriis consentanei sunt ac conformes. Iidem quoque nostræ indoli & ingenio, naturæ viribus & habilitati, nec non conditioni, officio, ætati semper accomodati sunt, & aptati. Quæ ipsa Divini Spiritûs comis adeò facilitas, benignaque humanitas nos reos ampliùs magisque inexcusabiles reddit, si *dura cervice & incircumcisis cordibus & auribus* eidem nihilominus *resistere* pergamus. (m) His ergo regulis usus, *si separaveris pretiosum à vili, quasi os DEI eris;* (n) & *spiritus mendax non decipiet, nec prævalebit* adversùm te. (o)

II. *Iis auscultandi modus.*

II. Porro postquam his industriis cognovisti, divinitus te instigari, divinæ voci auscultabis 1. *promptè*, vitando omnes moras: 2. *generosè*, rumpendo omnes remoras: 3. *constanter*, cavendo omnem in bene cœptis remissionem. Inprimis præcipitandæ sunt omnes *moræ; hilarem enim datorem diligit DEUS.* (p) Morosus quantopere

(m) Act. 7. v. 51. (n) Serm. 15. v. 19.
(o) 3. Reg. 22. v. 22. (p) 2. Cor. 9. v. 7.

topere Ei displiceat, experta est illa Sulamitis, (q) quæ, quia pulsanti non statim aperuit, lentam cunctationem diu multumque luere debuit. Nempe grandis nimiùm & excelsa Domini exercituum, regumque Regis majestas est, quàm ut à vili vermiculo, ad quem suâ gratia invisere dignatur, repulsam inultus ferat. Accedit, quod hac dilatione favor cœlestis minuatur, difficultas augeatur, summumque anima discrimen incurrat, ne postea perficere ob defectum opis & occasionis haud ampliùs queat, quod, cùm potuit, agere in tempore noluit.

Dein perrumpendæ sunt omnes *remoræ*. Si enim aliquando, cur non modò? Idem, qui post sæcula, jam hodie regnat DEUS, æquè munificus in munerando, ac rigidus in puniendo. Si res, quæ à te exigitur, difficilis non foret, merito præmioque careret; quò gravior tui victoria, eò major erit gloria. Age ergo, pavorem pone, generosa in ausa assurge; Tobiæ piscis est,

(q) Cant 5. v. 6.

quod expavescis, & times. Solùm audacter *apprehende branchiam ejus*, (r) & vicisti. Mox cum timore omnis etiam labor evanescet.

Denique bene cœptis *constanter* insistendum est. Quid enim juvat incepisse, & iterum à proposito resiliisse? Quid prodest ædificasse, si quod dextra exstruxit, sinistra iterum destruat? Quid juvat lapidem in montis verticem protrusisse, si remota manu eundem denuo ad ima devolvi sinas? Hæc inconstantia non nisi majori pœna te dignum reddit; cùm cognitioni non respondeat effectus, nec talentis negotiatio.

Igitur sedulò inquire, quid DEUS à te repetitis impulsibus cumprimis petat? cujus appetitionis victoriam, qualis rei sacrificium, cujus vitii fugam iteratò exigat? qualem virtutis actum exerceri à te, quod opus bonum patrari, qualem corporis afflictationem assumi urgeat, optetque? In summa: quid

(r) Tob. 6. v. 4. & 5.

quid fieri à te, quid omitti impensiùs postulet? Hìc jam suspenso gradu ac vigili aure, quid mens reponat, ausculta, & (quod Apostolus monet) *noli negligere gratiam, quæ est in te, & quæ data est tibi.* (s) Secus cave, ne etiam tu cum illo servo nequam, *qui acceptam mnam abiens fodit in terram, & abscondit,* (t) *ejiciaris in tenebras exteriores.* (u)

III. Ejusmodi enim gratiarum prodigos Nepotes perdendæ salutis criticum discrimen incurrere, palam enuncio. Asserto veritas ex mox dicendis constabit. Nam primò cœlestes hæ motiones divinitus immissæ, sunt illa subsidia, quibus æterna Bonitas nos *à via lata ac spatiosa, quæ ducit ad perditionem*, abducere; & ad *arctam* alteram *angustámque semitam, quæ ducit ad vitam,* adducere consuevit. (x) His ergo spretis, quid aliud superest, quàm ut teporis veterno immersi, tandem evomamur ex ore DEI, nostrisque in- III. *Incitamenta eos sequendi.*

(s) 1. Tim. 4. v. 14. (t) Matth. 25. v. 18.
(u) Matth. 22. v. 13. (x) Matth. 7. v. 14.

frunitis appetitibus perditè relicti, ſinamur *abire poſt veſtigia gregum.* (y)

Præterea qui media negligit, etiam finem reſpuit. Nos religioſi qui ſumus, ſub lethali noxa tenemur tendere ad perfectionem noſtro ſtatui congruentem, utque in virtute progrediamur, ſaltem conari. Jam verò adjumenta præcipua id exequendi, dictumque conatum exercendi ſunt ſancti hi impulſus ac illuſtrationes. His ergo qui paſſim & temerè abutitur, gravi huic obligationi ſuæ non ſatisfacit; id eſt, ad perfectionem non ſeriò tendit; adeoque in eo ſtatu verſatur, in quo ſalutis periculum incurrit; cùm illa ſubſidia abjiciat, quibus ſolis res hæc, graviter præcepta, rite expleri queat.

Ad hæc ſine ſupernis fidei, ſpei, & charitatis actibus, per vitæ curſum elicitis, cœli gloriam adultorum nemo acquiret; & ſine pari ejusdem ordinis dolore criminum condonationem peccatorum nullus obtinebit. Hi autem actus

(y) Cant. I. v. 8.

actus sine præviis cœlestibus auxiliis elici nequeunt. Ergo qui ista sibi oblata petulanter rejicit, dictos actus nunquam eliciet; adeoque æterna beatitudine nunquam potietur. Item: actum est de reo, quem, veniam rogantem, iratum Numen non exaudit. Atqui teste Gregorio Magno non exaudiet te, quicunque ejus voci rebelles usque obturas aures. *Qui DEO interiùs inspiranti, & monenti non obedit,* (S. Gregorii verba sunt) *is noverit, se ad DEUM in suis precibus aspirantem, non audiendum, nec exaudiendum.* (z) Inde jam conclude, in quàm magno tales sempiternæ perditionis discrimine versentur.

Denique sine dono perseverantiæ finalis, ùt ajunt, perdita est anima etiam sanctissima. Illa autem ex sententia Patrum & Doctorum sæpe habet (æterna Mente rem ita ordinante) secretam miramque connexionem cum memoratis impulsibus divinis; ita quidem ut his protervè neglectis, non ra-

(z) L. 4. Moral. c. 1.

rò etiam illam ſubtrahat ille ipſe ultor DEUS, cujus judicia ſunt abyſſus multa; in pœnam ſcilicet craſſi illius, quem hæc neglectio involvit, immenſæ Bonitatis deſpectûs.

Itaque, ô prodige gratiarum contemptor! his territus deinceps meliora decerne; cumque vindex illud Numen identidem *conterat multos, & ſtare faciat alios pro eis*, (aa) time, ne eodem turbine etiam tu involvaris. Certè Hebræis Gentes, Græcis Latinos, Hæreticis Europæis Americanos & Japones ſubſtitutos miramur. Quod integris nationibus contigit, cur non etiam tibi evenire poſſit? tibi, inquam, quem tam pertinax tot auxiliorum abuſus aliis nocentiorem reddit. Præſertim cùm ſubtractio gratiarum pœna non minùs frequens quàm terribilis ſit. Quin imò & juſtiſſimam eſſe Auguſtinus enunciat, dicens; *juſtiſſimum eſt, ut amittat unusquisque illud, quo bene uti noluit; &, qui ſciens rectum, id tamen*

(aa) Job. 34. v. 24.

tamen non facit, æquum est, ut amittat etiam scire, quod rectum est. (bb)

Proin, ô mortales! *hodie* adhuc *si vocem Domini audieritis, nolite*, ah! nolite *obdurare corda vestra.* (cc) Sed (quod Bernardi monitum est) inposterum loquenti interiùs DEO duas aures commodate, unam scilicet intelligentiæ, alteram obedientiæ; unam, qua cum Elia in sibilo auræ tenuis humiliter audiatis, *quæ sit voluntas DEI bona, beneplacens & perfecta;* (dd) alteram, qua fideliter auditis obsequamini. (ee)

(bb) S. Aug. de lib. Arbitr. (cc) Psal. 94. v. 8. (dd) Rom. 12. v. 2. (ee) In Epist.

CAPUT IV.

DE DOMINANTE AFFECTIONE.

Aperitis asceseos Magistris jure hæc pestis (quæ vulgari voce passio prædominans appellari consuevit) inter præcipua virtutis solidæ impedimenta numeratur, illiqúe *draconi magno ac rufo* assimilatur, qui, *habens iram magnam, persecutus est mulierem* illam à S. Joanne in sua Apocalypsi depictam. (a) Nam etiam dominans menti affectio animam crudeliter vexat, perpetuò insectatur, & coronata tyrannide premit, tristissimasqúe in ea strages identidem patrat. Hæc enim est ille *fortis armatus*, qui ita *custodit atrium suum*, ut raro *fortior eo superveniens eum vincat;* (b) cùm ejus notæ inimicus sit, quo non nocentior alter, nec sævior. Id autem ut clariùs

(a) Apoc. 12. v. 3. & seq. (b) Luc. 11. v. 21.

riùs pateat, I. oſtendam ejus nocendi vim, II. proponam ejus detegendi artem.

§. I.

Dominantis affectionis ſumma nocendi vis.

I. INprimis ejus nocendi vis eſt *univerſalis*; nam omnia univerſim, & omnes dira rabie aggreditur. Nemo quippe mortalium eſt, quantumvis perfectus, ſuis quem inſidiis non appetat: nullum vitæ genus aut conditio, cui ſuum virus non afflet. Dein non eſt locus, quò non penetret: non virtus, cui bellum non moveat: nullum eſt opus adeò ſanctum, cujus vel initium, vel ſaltem finem, aut medium aſperſa labe non corrumpat: ubiſque ſe inſinuat: nullam inferendæ cladis occaſionem negligit. Omnium denique, quæ animam fœdant, nœvorum: maximarum, quæ orbem inundant, ærumnarum infelix fons eſt & origo.

I. *Eſt hoſtis univerſalis.*

Verbô: ejusmodi vehemens ac rerum potens cordis commotio non solùm vitiat omne bonum, sed insuper creat omne malum; non est noxa, cujus mater, nutrix, aut patrona non sit. Quin imò nec dæmon (id quod notari speciatim cupio) imò nec dæmon, licèt stygia accensus fame, diu noctuque, *tanquam leo rugiens, circumeat, quærens, quem devoret*, (c) nocere nobis posset, nisi illa, tectè colludendo, nos proderet. Tanta tamque universalis ejus nocendi est vis. Singula depromptis ex S. Codice factis dilucidemus.

1. Primò non est hominum genus, quod hæc lues non infestet. Vel ipsos Servatoris discipulos eò impulit, ut inter se ambitiosi contenderent, *quis eorum videretur esse major?* (d) Ipsum, de se nimiùm præsumentem, Petrum reddidit perjurum. Proprio judicio plus justo deferentem, Thomam effecit incredulum. Judam argenti nimis cupidum eò adegit, ut ex Aposto-

(c) 1. Petr. 5. v. 8. (d) Luc. 22. v. 24.

Apoſtolo in proditorem, homicidam & orci titionem degenerârit.

In ſumma: nec principum throni, nec præſulum peda, nec pontificum thiaræ à peſtiferis ejus inſidiis immunes ſunt. Sub ipſa etiam veſte religioſa non rarò abdita deliteſcit. Adeò nulli mortalium hæc pernicies parcit; cùm nemo unus in orbe ſit, cui prava quædam affectio non dominetur, vel ſaltem imperitare non tentet.

2. Præterea nullus eſt locus adeò ſublimis aut ſanctus, quo impudens hæc lena non irrumpat. Cum Heliodoro in ipſum Solymæ templum, theſauros direptura, proſiliit. (e) Cum Jeroboamo ipſum altare in Bethel profano pede calcavit. (f) Cum Ozia ipſum *thuribulum, ut adoleret incenſum*, ſacrilega manu arripuit. (g) Quin imò in ipſum uſque cœlum *ſuper aſtra DEI* rebellis aſcendit; ubi cum Lucifero *ſimilis altiſſimo eſſe, & in monte teſtamenti*

(e) 2. Mach. 3. v. 23. (f) 3. Reg. 13. v. 1. (g) 2. Paral. 26. v. 19.

menti in lateribus Aquilonis sedere, superba contendit. (h)

Inde verò in præceps acta, ipsam postmodum Christi sanctitatem (furore causidicum agente) gravissimorum scelerum postulavit; dum eundem ùt potatorem vini, populi seductorem & eversorem Templi publico in foro accusavit, traduxit, infamavit. Adeò locus est nullus, quò non irrepat: sanctitudo nulla, quam maledico dente non lacessat: virtus nulla, quam inficere aspersa fuligine non nitatur hæc tartari progenies.

3. Nec his contenta, maximorum insuper, quæ orbem corruperunt, criminum tristissimarumque calamitatum infelix causa est & scaturigo. Hæc enim Italiam Vandalis, Mauris Hispaniam, Asiam Turcis diripiendam prodidit, & ferro tradidit flammisque depopulandam. Hæc Græciam & Angliam à centro unitatis diro schismate separavit. Hæc Cainum ad Fratris necem,

(h) Isa. 14. v. 13. & 14.

cem, Davidem ad adulterium, Salomonem ad idolorum cultum, Jezabelem ad Nabothi lapidationem, Herodem ad infantium cædem duxit, impulit, præcipitavit. Imperans eorundem animis malevolentia, ambitio, luxuria, avarities horrenda hæc monstra progenuit.

Dominans Jacobi natis invidia erat illa *fera pessima, quæ devoravit Joseph*, (i) & patrem ingenti luctu prostravit. Dominans Aaroni timor fuit ille nefarius artifex, qui *opere fusorio fecit vitulum conflatilem, quem adoraverat* Israël. (l) Dominans Pharisæis livor, Sacerdotibus odium, Pilato respectus sacrilegus ille carnifex fuerat, qui Christum duos inter latrones medium è cruce suspendit. Verbô: ut paucis complectar omnia; imperitans hæresiarchis superbia, dynastis libido, curionibus intemperies, religiosis tepor, Europam hæresibus, miseriis regna, paræcias offendiculis, religiones defectionibus implevit, afflixit, funestavit.

(i) Gen. 37. v. 33. (l) Exod. 32. v. 4. & 8.

ſtavit. Inde jam, hujus mali univerſalem nocendi vim dimetiaris, licet, utpote â cujus malignitate ſtatus hominum nullus, virtus nulla, aut locus ſat tutus eſt ac immunis, cui ſubdola orcino rictu non inhiet.

Et tamen, ô futurorum improvide! & tamen hoc monſtrum tuo in corde non ſolùm quietè nidulari, ſed & impunè leges tibi dare permittis; quamvìs magiſtra experientia doctus, inflicta tibi vulnera, illataque ab eodem damna ipſus ſentias, lugeasque. Verùm edic, quousque tandem impio huic dominatui famulum ſubdes collum? quamdiu adhuc tam vili tyranno noxiam adeò ſervitutem ſervies? quousque feres, ut appetitus rationem, ſervus dominam, *filius ancillæ filium liberæ* tam iniquo mancipatu premat; utque *is, qui ſecundùm carnem natus eſt, perſequatur eum, qui ſecundùm ſpiritum?* (m) Age ergo, martios in æſtus exardeſce. Memento, quia *non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ;* & tandem

(m) Gal. 4. v. 29.

dem aliquando *excute*, *& ſolve jugum ejus de cervicibus tuis*, (n) ut triſti hac tyrannide exemptus, fruaris *libertate*, *qua Chriſtus nos liberavit.* (o)

O Domine! *qui liberâſti Danielem de lacu Leonum*, (p) eripe me quoque â prava motione mihi dominante; cùm hæc omni tygride ſævior ſit. Da, ut *perfecto odio oderim*, (q) & nunquam cicuranda averſione deteſter hanc malorum Lernam. Hæc eſt enim illa (id tua luce illuſtratus, nunc clarè agnoſco) hæc, inquam, eſt illa â Daniele conſpecta *in viſione noctis*, *beſtia terribilis & fortis nimis*, *dentes ferreos habens magnos*, quibus omne virtutis robur *comedit*, *comminuitque*, & *reliqua* pietatis ſemina *pedibus ſuis* proterva *conculcat*. (r) Proin cœleſtes, quæſo, ſuffice vires, queis roboratus, huic tam exitioſo hoſti bellum victricibus armis ita inferam, ut & ego olim merear ſtare inter *eos*, *qui vicerunt beſtiam*, *haben-*

(n) Gen. 27. v. 40. (o) Gal. 4. v. 31. (p) Dan. 6. v. 27. (q) Pſal. 148. v. 22. (r) Dan. 7. v. 7.

habentes citharas DEI, & cantantes canticum agni. (s)

II. *Subdolus, & pertinax;*

II. Præterea modus, quo perniciosus hic adversarius nos impugnat, valde callidus est, ac summè pertinax. 1. Instar Vertumni varias induens formas, & virtutis larva se tegens, nunc zelum se esse, modò charitatem, nunc discretionem mentitur. Profusionem, ambitum, lasciviam, sorditiem, iram & alias hujus furfuris noxas libertatis, justitiæ, urbanitatis, temperantiæ, magnanimitatis pallio vafrè obnubit; seque *transfigurans in angelum lucis*, (t) intellectui ùt licitum depingit, quod tamen ipse in aliis ùt vetitum damnat. Et quamvìs voluntatem crudeli tyrannide per invia & devia impotens rapiat, ac animæ subdolum proditorem alter Sinon agat; tamen amicam se ac innoxiam miris artibus fingit. Quin ipsam quoque rationem ita infatuare novit, ut etiam ea subin, quæsitis coloribus, illius oblinere fœditatem, ac malitiam tutari, cæca laboret.

Hujus

(s) Apoc. 15. v. 3. (t) 2. Cor. 11. v. 14.

Hujus fraudulentiæ monumenta in ſacris paginis obvia paſſim occurrunt. Unum vel alterum delibâſſe ſufficiat. Cogitabat *Nabuchodonoſor Rex omnem terram ſuo ſubjugare imperio;* cumque nationes exteræ *omnes uno animo contradicerent, indignatus juravit per thronum & regnum ſuum, quod defenderet ſe de omnibus regionibus his.* (u) En! quàm altum impudentiæ gradum imperans affectio non conſcendat, ſi liberè dominari ſinatur. Ambitioſus ille regnorum helluo injuſtè alios ipſe impugnabat, & tamen ſe laceſſitum conqueritur. Ille jubet incolas *omnes occidi, omnia ſata ſuccendi, omnes arbores & vineas incidi;* (x) & cùm ipſe hæc agat, cogi ſe jurat, ut defenderet ſe; licèt à nemine nec hilo fuerit læſus. Inſaturabili ſuæ ambitioni & cruentæ rapacitati juſtæ ſui tutelæ titulum obtendit. Injuſtiſſima aggreſſio æqua illi defenſio fuit. Quod manifeſtum fuerat ſcelus, regalis illi virtus erat. Adeò vafrè imperans motio illudere, ac vulpinari novit.

(u) Judith. 1. v. 7. & ſeq. (x) Ibid. v. 17.

Huic ſimile factum in libro Numerorum legere eſt. Ibi *ſurrexerunt contra Moyſen Dathan & Abyron, aliique filiorum Iſraël ducenti quinquaginta viri*, omnes *proceres ſynagogæ.* (y) Ratio rebellandi teſte Eccleſiaſtico livor erat & ira; *nam propter invidiam circumdederunt illum & in iracundia.* (z) Hæc duo monſtra in eorundem animis ſceptrum rotabant. Et tamen his æquitatis ceruſſam illinunt, iniquum, quem Moyſes ſibi arrogaret, dominatum prætexentes. Quod impia ſeditio erat, zelans ipſis religio fuit.

Ananias conſcia uxore ſua fraudavit de pretio agri à ſe venditi, & *afferens* ſolùm *partem quamdam, ad pedes Apoſtolorum poſuit.* (aa) Et en! quod turpe mendacium fuerat & ſordidum proprietatis vitium, illi ſapientem curam & futurorum providam ſolicitudinem interpretabantur. Judas ſuam ex avaritia natam indignationem, qua Magdalenam, ob infuſum Chriſti pedibus unguen-

(y) Num. 16. v. 2. & ſeq. (z) Eccli. 45. v. 22. (aa) Act. 5. v. 2.

unguentum, reprehendit, misericordiæ velo palliavit, dicendo, *potuisse venumdari, & dari pauperibus.* (bb) Furandi cupiditatem pauperum amorem appellabat. Nempe adeò callidè subdolus hic hostis virtutem mentiri novit, ac pietatis larva noxias fraudes occulere, ut acuto sit opus oculo, quo doli detegantur.

2. Nec minor hac vafritie illius quoque, qua nos usque impugnat, pertinacia est. Hujus nobis vestigia Jonas Propheta in se expressa reliquit. Inordinatus proprii honoris amor ejus animum altè insederat. Timor perdendæ, aut minuendæ saltem famæ, nî prædictioni eventus responderit, eum compulit, *ut fugeret in Tharsis à facie Domini*, qui jusserat eum ire in *Niniven civitatem grandem, & prædicare in ea.* (cc) At ecce! vindex Nemesis passibus æquis fugientem insequitur. Fit *tempestas magna in mari: cadit sors super Jonam: mittitur in mare: deglutitur à pisce: post triduum ab eodem denuo*

(bb) Matth. 26, v. 9. (cc) Jon. 1, v. 2, & 3.

evomitur in aridam. Quis hìc non judicâſſet, eum jam ſapere doctum, mox citato gradu volaturum *in Niniven civitatem magnam, & prædicaturum in ea prædicationem, quam Dominus fuerat locutus ad eum?* Et tamen, (vah! pervicacem pravæ affectionis morbum) & tamen non priùs illuc conceſſerat, niſi poſtquam *factum eſt verbum Domini ad eum ſecundò.* Tunc primùm *ſurrexit Jonas, & abiit in Niniven.* (dd)

Nec hìc ſtitit obſtinatum animi malum. Iterato aſſultu ſuam exeruit nocendi vim. Cùm enim Ninivitæ ejus hortatu permoti, eſſent *converſi à via ſua mala,* & *miſertus* eorum *DEUS,* urbem non ſubverteret, *afflictus eſt Jonas afflictione magna, & iratus eſt adeò vehementer,* ut petiverit animæ ſuæ mori, & dixerit: *Domine tolle, quæſo, animam meam à me; melior eſt enim mihi mors quàm vita.* (ee) Superi! quæ, obſecro, cauſa tanti mœroris exſtiterat? Audiat terra, & imperitantis appeti-

(dd) Jon. 3. v. 1. & ſeq. (ee) Jon. 4. v. 1. & ſeq.

petitûs pervicaciam admiretur. Ratio haud alia fuerat, quam eadem nimia, ùt ipſe Jonas fatetur, (ff) propriæ exiſtimationis cura, qua doluit ob non ſecutam, quam prædixerat, civitatis ruinam falſum modò ſe vatem audire.

Vah! indomitum hujus peſtis virus, quod neque per tumidos æquoris fluctus, neque per projectionem in mare, nec per vivum in ceto carcerem expelli poterat, ac ſanari. Quin imò Domino ſibi dicenti: *putásne, bene iraſceris tu?* reponere eſt auſus: *bene iraſcor ego uſque ad mortem.* (gg) Videlicet veriſſimum eſt illud S. Auguſtini effatum: *nulli iraſcenti ſua ira videtur injuſta.* (hh) Usque adeò pertinaciter prædominans paſſio intimis inhæret fibris, ut etiam efficaciſſima, quæ ei curandæ adhibentur, non rarò eludat pharmaca.

Nempe mandatrix hæc motio eo ex agmine hoſtis eſt, qui nec ceden-

(ff) Jon. 4. v. 2. (gg) Jon. 4. v. 9. & ſeq.
(hh) Epiſt. 100.

do emollitur, nec blanditiis mitescit, nec annis enervatur: qui ex ipsis, quas retulit, plagis vires & incrementa capit: qui centies victus, millies ad pugnam redit: quocum lucta non nisi cum vita finitur; imò nunquam periculosiùs cum eo, quàm in ultimo agone decertatur; cùm illius operâ tunc dæmon utatur, ut in assuetum nos vitium faciliùs propellat. Quis ergò insidiatorem tam universalem, subdolum, & pertinacem non execretur?

III. *Et tamen amatus.*

III. Et tamen (quis non ingemiscat?) is ipse est, quem tenerè fovemus, & perditè tutamur: cujus notitiam acquirere, & fraudes detegere, simulata cæcitate, subterfugimus: à quo decipi, vincique gaudemus: à quo inflicta nobis vulnera etiam amamus. Quin oculos insuper claudimus, ne videant præcipitia, in quæ incautos nos hæc pernicies inducit: aures obturamus, ne audiant remordentis conscientiæ latratus, & internam Numinis vocem percipiant, qua discriminis admonemur.

Et

Et hoc eſt, quod ejus debellandi difficultatem, noſtrique periculi magnitudinem tantopere auget. Antagoniſta enim, qui placet, & diligitur, nunquam ſeriò laceſſitur? leni ſemper brachio feries, cujus internecionem times. Nempe ſimiles ſumus ægroto, cui morbus in deliciis eſt; qui non niſi dulcia, licèt parùm ſalubria, admittit medicamenta, mallens cum ſuavibus ægrotare, quàm per amara ſanari. Interea malum altiores ſemper radices agit, firmatoque robore, ſuum quotidie dominatum profert; contrà verò indies voluntas languidior, gratia debilior redditur.

Inde patet, quanta ſit neceſſitas, hoc monſtrum ſine mora in apricum producendi, & continua caſtigatione domandi. Id enim nî feceris, nullos facies in virtute progreſſus: veteri ſemper limo infixus hærebis. Proin generoſa ſurge in auſa, bellum denuncia, arma expedi, claſſicum inſona, *quis ùt DEUS?* militaris tibi teſſera ſit. Age, noxias quid moras nectis? . . . .

Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius; (ii) id cœlum jubet. *Post concupiscentias tuas non eas;* (ll) id ratio vetat.

Excute igitur impii tandem dominatûs jugum, ac animam debitæ libertati restitue. Imperans hæc menti affectio *tortuosus ille coluber est,* (mm) qui, quò leniùs habetur, eó ampliùs sævit; quò plus ei ceditur, eó magis insolescit: quò seriùs, eó difficiliùs curatur; cùm carcinoma sit, latiùs identidem serpens. Ergo ad rem, vindices exere vires, hodie adhuc securis ad radicem ponatur. Animosè incepisse, erit vicisse. Secus, *si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.* (nn)

Sit ergo *ô fortissime DEUS spirituûm universæ carnis!* (oo) tua fretus gratia *ego servus tuus vadam, & pugnabo adversùs Philisthæum hunc.* Et licèt ille

(ii) Gen. 4. v. 7. (ll) Eccli. 18. v. 30. (mm) Job. 26. v. 13. (nn) Eccli. 18. v. 31. (oo) Num. 16. v. 22.

ille *ad me veniat in gladio & hasta & clypeo; ego veniam ad eum in nomine DEI exercituum.* (pp) Nec priùs infesta illi signa inferre desistam, donec superbus hostis cristas posuerit, & victus obedire didicerit. Tu *Domine, virtus salutis meæ, obumbra caput meum in die belli,* (qq) ut post gloriosum certamen victor acie excedam.

§. II.

Dominantis affectionis detegendæ Ars.

I. Porro methodum, viperinum hunc nidum excutiendi, docebunt sequentia. Quæ, ut planiora fiant, priùs breviter declarandum erit, quid, & quotuplex motio, seu (ùt vulgus loquitur) animi passio sit? Hæc Doctori Angelico *est motus sensibilis potentiæ appetitivæ* (seu irrationalis animæ) *ob imaginationem boni, vel mali proveniens.* (a) Nam opinio boni movet ad ejus desiderium & amorem; opi-

I. *Quid, & quotuplex sit animi motio?*

(pp) 1. Reg. 17. v. 32. & 45 (qq) Psal. 139. v. 8. (a) 1. 2. q. 22. a. 3.

nio verò mali ad ejus odium & fugam. Eodem Auctore *dantur in appetitu concupiſcibili tres conjugationes paſſionum, ſcilicet amor & odium, deſiderium & fuga, gaudium & triſtitia. Similiter in iraſcibili ſunt tres, ſcilicet ſpes & deſperatio, timor & audacia, ac ira, cui nulla alia paſſio opponitur; & ſub his omnes paſſiones continentur.* (b)

Jam verò tria præcipuè celebrantur illecebrarum genera, quæ appetitus concupiſcibilis (ùt ajunt) ſolet amare, deſiderare, & de iis præſentibus gaudere; nempe divitiæ, honores, deliciæ. Quæ ipſa etiam appetitus (ùt vocatur) iraſcibilis ſperat, audacter prenſat, & de iis obtinendis ſubin deſperat. Item tres numerantur miſeriarum ſpecies, quæ appetitus concupiſcibilis conſuevit odiſſe, fugere, & de iis, ſi ingruant, triſtari; nempe egeſtas, contemptus, dolores. Quæ pariter appetitus iraſcibilis timet; & ob ea, ſi depelli nequeant, iraſcitur.

II. Qui

(b) 1. 2. q. 23. a. 3. C.

II. Qui ergo cupit venire in notitiam affectionis animo imperantis, ei subjunctæ adhibendæ erunt induſtriæ. Prima eſt, ut ſi quis triſtiorem ſe ſentiat, aut ſolitô lætiorem, ſedulò inquirat, quodnam illud ſit malum, ob quod intenſiùs dolet; vel quodnam illud ſit bonum, cujus cauſa vehementiùs gaudet. Illud enim incommodum, ob quod angitur, etiam timebit, fugiet, & odio habebit; ob illud quoque iraſcetur. Adeoque horum id affectuum origo erit.

II. *Variæ induſtriæ detegendi affectionem dominantem.*

Contrà verò blandimentum illud, quo quis delectatur, etiam deſiderabit, adeoque & amabit, ſperabit, & audacter prenſabit; vel, ſi obtineri nequeat, de eo acquirendo deſperabit. Igitur, quod conſequens eſt, horum id motuum fons erit. Nam (ùt docet S. Thomas) omnes cordis motiones ſolent *terminari*, ſeu ultimò deſinere in *triſtitiam*, *vel gaudium*. (c) Lætamur enim, ſi malum, quod fugimus, timemus, odimus, ſecuri evadamus;

(c) 1. 2. q. 25. a. 1. C.

damus; aut si bonum consequamur, quod speramus, diligimus, optamus. Si verò illud effugere, hoc adipisci nequeamus, contristamur.

Proin solerter indagâsse in illud, ob quod quis vel mœrore deprimitur, aut lætitia effertur, efficax subsidium erit, retrogrado per reliquos affectus gressu detegendi passionem, quàm vocant, prædominantem. Ita ex. gr. qui de laudum encomiis, delatis honoribus, vel speciosis muneribus impensiùs exultat; aut ob sui despectum, vituperationem, aut ludibrium animo nimiùm dejicitur, facilè colliget, superbiam, usurpato temerè imperio, mentis clavum moderari.

Sic dum Jonas tristatur, quod Dominus Ninivitarum pœnitentiâ placatus, prædictum â se, urbi excidium non intulerit; causa hujus tristitiæ fuerat nimia proprii honoris cura, ex superbia suam originem trahens. Contrà verò dum ob projectam ab hedera umbram valde lætatur, & ob eam

dein

dein exſiccatam vehementer iraſcitur, fons harum affectionum erat inordinatus ſui amor, immoderatè de commodis gaudens, ac de moleſtiis dolens.

III. Alterum remedium eſt, ut diligentì examine perſcrutemur, cujusnam rei amor, vel odium, deſiderium vel fuga, ſpes aut timor nos pelliciat ad committenda illa peccata, quæ ordinaria confeſſionum noſtrarum materia eſſe ſolent? an non cupido alicujus honoris, commodi, aut voluptatis? an non horror ſubeundi cujusdam laboris, moleſtiæ, aut contemptûs? . . . . & facili negotio deprehendemus, plerumque nimiam curam propriæ exiſtimationis vel conſervandæ, vel augendæ: aut minùs ordinatum amorem cuticulæ ac commoditatum vitæ geminam ſcaturiginem eſſe, ex qua quotidiana piacula largo impetu profluunt. III. *Remedium alterum.*

Ex primo enim, nempe ex ſuperbia emanat illa jactantia & oſtentatio:

illa

illa alienæ famæ invidentia & obtrectatio: ille ambitus, odia, rixæ. Ex altera, ſcilicet ex philautia, prorumpunt illa acediæ, libidinis, & gulæ vitia: illa mendacia, contentiones, murmura: illa furta occulta ac votorum violationes, nec non aliæ hujus geniminis viperæ, quæ omnia nimio ad gloriam & carnem affectui ſuam geneſin debent.

IV. *Subſidium tertium.* IV. Tertium ac primo affine ſubſidium eſt, ut attendamus, quanam de re frequentiùs cogitemus: quænam potiſſimùm res anxios nos & timidos, lætos & cupidos, inquietos, triſtes & turbidos reddat. Sic ex. gr. qui animo plerumque verſat ſenſuum & corporis oblectamenta; vel quem timor invaletudinis, aut moleſti muneris vehementiùs angit; aut quem aliorum defectus & mores ſæpius turbant; indicium eſt, huic nimiùm ſui ſtudioſum amorem proprium dominari, per fas & nefas omnia incommoda averſantem, cunctisque commodis avidè nimis inhiantem. Contrà verò qui

non

non nisi applausus & honores somniat, quem successus disputationis ex. gr. aut concionis, vel alterius negotii nimis solicitum habet; qui officia & loca minùs honorifica horret; huic ambitionem imperare palam est.

Quodsi dein ulteriùs nostra indagine perrexerimus, & promoto gradu ad singularia descenderimus, mox comperiemus, ex illa captandæ ab aliis vanæ laudis cupiditate tacito ortu scaturire famosam illam omnis boni perniciem, respectum nempe humanum cum suo timido orbis idolo: *quid dicent homines?* Ex illa verò illecebrarum, quæ sensibus blandiuntur, appetentia pariter pullulare noxiam illam in manè surgendo pigritiam, quæ ambo inveterati teporis, innumerorum per diem defectuum, ac gravium non rarò lapsuum fœcunda mater consueverunt esse. Quod biceps monstrum cùm plerumque sceptrigero dominatu animi throno insideat, ac propterea inter primaria virtutis solidæ impedimenta meritò recenseatur, in illud postmodum

dum ſingillatim calamum ſtringere conſtitui.

V. *Induſtria quarta.*

V. Quarta denique induſtria hunc latentem in herba colubrum in meridiem producendi conſiſtit in eo, ut advertamus animum ad tacita quædam, queis ſe prodere ſolet, indicia. Nam 1. inſtar aëris undique, ſemper, & in omnia toto ſe niſu intrudentis, etiam dominans affectio in omnes præcipuas ſaltem actiones ſeſe ingerere, easque ſi non imperare, ſaltem promovere conſuevit. Ubique ſe inſinuat: omnes eventus ſuum in commodum vertit: nullibi non, quo paſcatur, invenit. Sic ex. gr. cujus cordi ſuperbia conſulari poteſtate præeſt, is in omnibus ſibi mirè complacet: cuivis colloquio ſemper aliquid ad ſui commendationem immiſcet; ipſos errores dextrè ſuam in laudem detorquere novit: ipſa ſui contemptione intumeſcit: in ipſa abjectione ſe erigit. Vel ipſi Servatoris diſcipuli eo ipſo tempore ſuperbierunt, quo ſuperbos ſpiritus ex energumenis expulerunt,

runt, inaniter gloriando, *quod etiam dæmonia subjicerentur eis.* (d)

2. In conflictu cum aliis animæ appetentiis affectio dominans semper supernatat; primas nunquam non tenet: huic motiones reliquæ omnes subdito famulatu servire coguntur: velut cerastes inter viperas perennem dominatum exercet. Pone tibi ob oculos hominem gulæ vitio deditum; licèt id superbia honori: avaritia patrimonio: amor proprius sanitati repugnare, & adversari clamitent; tamen omnes surda aure à gastrimargo prætereuntur. Ventris ingluvies omnibus reliquis, relata victoria, palmam præripit.

Vix odium in Mardochæum Amani pectus pleno jure insederat, mox omnis auri fames, gloriæ cupiditas, amicorum adulatio, uxoris blanditiæ neglecta viluerunt; & *cùm hæc omnia habeam,* (ingemuit miser) *nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum*

(d) Luc. 10. v. 17.

Judæum. (e) Imperans filio prodigo libertatis cupido, omnem patris & patriæ affectum, nec non periculorum timorem procaci pede calcavit. Suspicax metus, ne regno exueretur, Herodem Ascalonitam eò impulit, ut Romæ thesauros profunderet, Cæsaribus abjectè blandiretur, domumque redux uxorem, Aristobulum, propriosque filios parricidali dextra mactaret. Avarities, arrogantia, libido, caro & sanguis loco cedere debuerunt; cunctis prævaluit dominatrix animi ambitio.

3. Illam, quæ ad clavum sedet, mentis appetitionem mirè præ aliis fovemus, tutamur, & solicitè excusamus. Potiùs cujusvis alterius, quàm hujus reos nos argui patimur. Si homini tumore inflato objicias, eum esse ebriosum, avarum, invidum, leniùs id feret. At si arrogantem voces, hìc ulceri ungues immittis, & stuppæ flammam. Mirum dictu! potiùs

(e) Esth. 5. v. 13.

tiùs alia omnia volet esse, quàm id, quod est.

Dein non rarò nostra *salus ex inimicis nostris est, & de manu eorum, qui oderunt nos.* (f) Nam ji nostros nobis defectus exprobrando plerumque illum acriùs carpunt, qui reipsa chorum ducit. Attende proin, quodnam vitii genus in te alii vehementiùs crebriusque culpent; nec dubita, illud ipsum id esse, quod in affectuum republica Magistratum gerit.

Poterit insuper conscientiæ arbiter, postquam cordis nostri intima eidem fuerint plenè perspecta, utilem tibi hac in re navare operam, & digito indice primarium tibi vulnus detegere. Præterea, sicut *granum sinapis, licèt minimum sit omnibus seminibus*, tamen postea *majus est omnibus oleribus, & fit arbor;* (g) ita quoque appetitûs regnantis non rarò modicissima sunt initia, & primordia in speciem levissima; nihilominus ingens laboris com-

(f) Luc. 1. v. 17. (g) Matth. 13. v. 31.

pendium fuerit, ad has minutas radices medicam ſecurim ocyus appoſuiſſe. Et hæc ſunt præcipua dignoſcendæ paſſionis, ùt ajunt, prædominantis remedia; quibus ſi ritè fueris uſus, imperans tibi vitium facili negotio deteges, detectumque eradicabis.

Age ergo, ſubſidio examinis particularis hodie adhuc principi appetentiæ bellum denuncia. Quò gravior erit ac diuturnior certatio, eò major te manet gloria, & illuſtrior corona. Si dignum DEO ſpectaculum eſt vir patiens, cum mala fortuna compoſitus; nil minùs erit cum indomitis motibus continuò luctans athleta; & ſi (ùt ait Hieronymus) *grandis virtutis eſt, ſecum pugnare quotidie, & incluſum hoſtem, Argi* (ùt fabulæ ferunt) *centum oculis obſervare;* (h) quod laudis, & gloriæ faſtigium non merebitur ille? (verba ſunt S. Laurentii Juſtiniani) *qui in ſe ipſo, tanquam in excelſa reſidens rationali ſede, omnem cordis familiam provida gubernatione caſtigat.*

Qui

(h) Epiſt. 8.

Qui huic passioni dicit: vade, & vadit: alii veni, & venit: atque servo corpori, fac hoc, & facit. (i) Enimvero homine majus quid, & æthereis Potestatibus affine meritò hunc esse dixero. Igitur moras rumpe, arma expedi, hostem aggredere. Nec dicas cum Augustino: *modò, ecce modò: . . . sine paululum: . . .* ne fortè etiam apud te *hoc modò & modò non habeat modum*, & illud *sine paululum, in longum eat.* (l)

O Domine! *qui imperas ventis & mari,* (m) meæ etiam menti malaciam redde. En! cor meum æstuat *quasi mare fervens, quod quiescere non potest.* (n) Et est quasi *regnum in se ipsum divisum,* (o) quod subsistere nequit. *Venit enim avaritia, & vendicat in me sibi sedem: jactantia cupit dominari mihi: superbia vult mihi esse rex: luxuria dicit: ego regnabo; detractio, invidia & iracundia certant in me ipso de me ipsa, cujus ego potissimùm esse videar.* (p)

(i) Lib. de casto connub. (l) Lib. Confess. c. 5. (m) Matth. 8. v. 26. (n) Isa. 57. v. 21. (o) Luc. 11. v. 17. (p) Bernardus Serm. 4. super missus est.

Et ſic miſer diverſas in partes diſtractus, dum cuilibet ſervio, omnibus mancipor.

At fixum eſt, poſthac cum Bernardo, *quantum valeo, & ego reſiſtam; renitar, quantum juvor. O Domine JEſu! tibi me defendam; quia tui me juris eſſe agnoſco. Veni ergo, Domine! diſperge illos in virtute tua. Tu ſolus regnabis in me, quia tu es ipſe Rex meus & DEUS meus.* (q) Da, ut agnita dominantis mihi affectionis ſumma nocendi vi, tandem aliquando, adhibitis aptioribus induſtriis, eandem ſedulò detegam, & conjuratis viribus exſtirpare contendam.

§. III.

De triplici errore in curanda dominanti affectione admitti ſolito.

HUcuſque motionis animo imperantis noxiam vim ob oculos poſui, ejus dignoſcendæ ſubſidia in lucem

(q) Idem ibidem.

cem protuli, in idque multo conatu incubui, ut te ad inferendum illi bellum animarem, armaremque. At ecce! triplex inimicus piis se votis opponit, nempe 1. ignorantia mali, 2. desperatio curæ, & 3. neglectus aptiorum remediorum. Hi tres modò hostes viritim sunt debellandi, ut omnis obtentus dominans vitium impugnandi, penitus concidat.

I. Inprimis aliquos reperire est, *qui nolunt intelligere, ut bene faciant*: (a) qui horrent venire in notitiam morbi, ne medelam adhibere cogantur: quibus ipsum etiam malum nihil est mali: defectus, quos alii passim in eis notant, soli ipsi ignorant; quin imò ita *obscuratum est insipiens cor eorum*, (b) ut rebelles rationi appetitus etiam asylo beent, & justitiæ clypeo tutentur. Ad illorum verba si attendas, nemo iis demissior, mansuetior, liberalior nemo; cùm tamen, oppositi his virtutibus, nævi in iis principatum obtineant. Illis si fidem habeas, nul- I. *Ignorantia mali.*

(a) Psal. 35. v. 4. (b) Rom. 1. v. 21.

lo vitio magis carent, quàm quo maximè laborant: quod revera eſt ira, ambitio, avaritia, libido, invidia; id ab iis zelus, æquitas, parſimonia, levitas, religio nominatur. Et hoc primum eſt noxæ regnantis propugnaculum, ſcilicet affectata, ùt ajunt, ignorantia mali. Unde fit, ut, cùm morbus ignoretur, nec de medela provideatur; ſicque ægritudo, novis indies incrementis aucta, omnem denique medicinam reſpuat.

Diſcute jam conſcientiæ tuæ fibras, & vide, an non etiam tu, reus cùm ſis, inſontem te tibimet ipſi mentiaris? An non ab illa affectione, quæ tamen tibi reginæ inſtar imperitat, immunem te judices, imò & jactes? vel ſi proditam luem diſſimulare haud ampliùs queas, an non ei fictæ pietatis fucum inducas?

Age, lynceis oculis animi latebras excute, & explora, an non etiam tu certum quemdam murmurandi, alios culpandi, eisque detrahendi pruritum, diſcip-

disciplinæ studium reputes? An non illam supra alios eminendi, naturæ dotes ostentandi, famamque captandi solicitudinem, salutis alienæ, & DEI gloriæ zelum esse prædices? An non illam laborum fugam, commodorum appetentiam, molestiarum aversionem providam in curanda valetudine prudentiam nomines? & sic de aliis.

Ita si est, *mentita est iniquitas sibi.* (c) O miseri! quicunque id agitis, ah! *decipitis animas vestras*, (d) *fallentes vosmet ipsos.* (e) *Adhuc cæcatum habetis cor vestrum, & oculos habentes non videtis.* (f) Verùm *hora jam est nos de somno surgere*, (g) tamque crassas ignorantiæ tenebras infusa luce dispellere. Proin hodie adhuc falso veri larvam, & malo boni pallium detrahamus; absterfaque omni cerussa, vitium solaribus radiis expositum, genuino obtutu contemplemur, ejusque detectam malignitatem totis viribus execremur.

(c) Psal. 26. v. 12. (d) Jerem. 37. v. 8. (e) Jac. 1. v. 22. (f) Marc. 8. v. 17. (g) Rom. 13. v. 11.

II. *Desperatio curæ.*

II. Alter inimicus, qui nostri capitalis morbi sanationem impedit, est curæ desperatio, quæ pusillo animo suam originem debet; sunt enim, quibus rebelles hi motus apparent esse *monstra quædam de genere giganteo, quibus comparati sibi locustæ videntur.* (h) Qui illud ipsum sibi occinunt, quod Saul Davidi: *non vales resistere Philisthæo isti, nec pugnare adversùs eum, quia puer es; hic autem vir bellator est, ab adolescentia* tua tibi dominari assuetus. (i)

Quin imò, mutuato â SS. Patribus clypeo, suam hanc desidiam tutari conantur, objectando illud S. Cyrilli effatum: *fieri non potest, ut insitam carnis concupiscentiam eradicemus.* (l) Nec non illud SS. Dorothei, Leonis, & Hieronymi, quorum hæc sunt verba: *haud possibile est omni carere passione.* (m) *Nullis illecebris commoveri, non est hujus vitæ.* (n) *Impossibile est, perturbationum initi-*

(h) Num. 13. v. 34. (i) 1. Reg. 17. v. 33. (l) Lib. adversùs Antropom. c. 1. in Beati mites. (m) Doroth. Serm. seu Doctr. 1. (n) S. Leo Serm. 3. Quadrag.

initiis carere quempiam. (o) His obtentibus ejusmodi vecordes animæ suam hac in re socordiam palliare contendunt.

Verùm enimvero ô boni! *cor vestrum phantasias patitur.* (p) Equidem his Patrum oraculis assentior & ego. Fateor cum S. Dorotheo: *haud possibile esse omni carere passione.* At notanda sunt pariter, quæ mox subjungit sensa: *non operari autem illas, hoc utique non impossibile est.* Profectò est, ùt dicis, ait Bernardus: *velis, nolis, intra fines tuos habitabit Jebusæus.* At verò, *licèt is exterminari non possit, attamen subjugari potest.* (q) Licèt *passiones totaliter non possint tolli,* (inquit Aquinas) *possunt tamen ordinari.* (r)

Nam (ùt bene advertunt SS. Dorotheus, & Augustinus) *aliud est peccatum, aliud affectus:* (s) aliud sensus, aliud consensus. Jam verò *commoveri* teste Chrysostomo, pravosque motus senti-

(o) S. Hieronym. in c. 69. Isaiæ. (p) Eccl. 34. v. 6. (q) Serm. 58. in cant. (r) 1. p. q. 95. a. 2. ad 3. (s) Doroth. loc. cit.

ſentire, *malum non eſt ; ſed irrationabiliter commoveri*, (t) iisque conſentire, id crimen, hoc ſcelus eſt. Porro illud prius humanas vires excedere ultrò admittimus. At verò etiam hoc poſterius easdem ſuperare, hoc inficiasimus. Licèt enim Gentium Doctor Paulus queratur, ſe *videre aliam legem in membris ſuis, repugnantem legi mentis ſuæ ;* (u) tamen alibi addit : *caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo.* (x)

Proin ſecundùm mentem Chryſoſtomi *ſubigendæ ſunt, ac domandæ noſtræ â ratione magis alienæ ac belluinæ affectiones, earùmque dominatus rationi committendus. At quomodo fieri poteſt, dicet aliquis, ut belluinam affectionem quis ſubigat ? quid ais mi homo ?* (proſequitur idem S. Præſul) *en ! leones ſubigimus, eorúmque animos cicures reddimus; & dubitas, an affectionum feritatem ad manſuetudinem poſſis traducere ? ergóne id efficere nequeas tua in anima, quod perficis*

(t) Hom. 6. de laud. Pauli. (u) Rom. 7. v. 23. (x) 1. Cor. 9. v. 27.

ficis in bellua ratiocinationum experte? in anima, inquam, ratione prædita, DEI timore impulsa, divinis gratiis adjuta. Ne, quæso, hos prætextus & excusationes prætendas. Hæc Chrysostomus. (y)

Itaque *confide in DEO*, (z) *& inde veniet auxilium tibi.* (aa) Nam *anima*, ait Bernardus, *innixa supra dilectum suum, iram, metum, cupiditatem & gaudium veluti quadrijugum quemdam animi currum bonus auriga reget, & in captivitatem rediget omnem carnalem affectum. Et quid ni? Nam possibilia sunt omnia, innitenti super eum, qui omnia potest. O quantæ fiduciæ hæc vox est: omnia possum in eo, qui me confortat! Cùm ergo omnipotentes sint omnes, qui sperant in eum, & omnia possibilia sint credenti; cur solus tu appetentiæ dominatricis curationem desperes?* (bb) Itaque pusillanimes has diffidentis animi excute curas. *Spera in DEO*, (cc) & in eo cum Davide *transgredieris murum.*

(dd) *Ago.*

(y) Serm. 2. in Gen. (z) Eccli. 11. v. 22. (aa) Psal. 120. v. 1. (bb) Serm. 85. in Cant. (cc) Psal. 42. v. 5.

(dd) *Agonizare pro anima tua, & usque ad mortem certa, & DEUS expugnabit pro te inimicos tuos.* (ee)

III. *Neglectus aptiorum remediorum.*

III. Tertius adversarius, optatam impediens victoriæ palmam, est neglectus aptiorum remediorum ac genuinæ methodi, principale hoc vitium impugnandi. Res nobis est cum antagonista vaferrimo, qui teste Ambrosio *priùs explorat nostra arma, & dein primùm acuit sua tela.* (ff) Priùs *omnium discutit consuetudinem*, (Leonis Papæ oraculum est) *ventilat curas, scrutatur affectus, & ibi causas quærit nocendi, ubi quemque viderit studiosiùs occupari.* Nam, ùt sagax est, optimè *novit, cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus invidiæ. Novit, quem morosè conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat.* (gg) Verbô: externas tentationes interiori animæ statui

(dd) Psal. 17. v. 3. (ee) Eccl. 4. v. 33. (ff) L. 1. de Offic. c. 4. (gg) Serm. 7. de Nativ.

tui dextrè accomodat, ſemperque modô magis periculoſo ac debiliori ex parte eandem impugnat, ut eò faciliùs eam in ruinam præcipitem det. Talis ergo inimicus noſter cùm ſit, à nobis pariter aptior pugnandi methodus uſurpanda, ſpicula magis idonea ſeligenda, efficaciora pugnæ ſubſidia erunt adhibenda. Sunt autem ſequentia.

1. Primum in eo conſiſtit, ut ipſis appetituum initiis mox obſiſtas, eosque quamprimum ac rebelle caput in altum extulerint, herili dominatu ocyus reprimas, ac refrænes. Chryſoſtomi hoc monitum eſt dicentis: *quando parvam animi perturbationem ſuſceperis, ne eam neglexeris, quod parva ſit; ſed conſidera, quanta mala parere poſſit, niſi mox ſupprimatur.* Id quod paulò poſt apta ſimilitudine declarat, ita diſſerens: *ſicut enim*, ait, *ſi in domo parum aliquid ſtuppæ accenſum viderimus, mox conturbamur, tumultum movemus, & ad ſopiendum ignem utut modicum citi accurrimus; quia nempe non initium attendimus, ſed ex initio finem funeſtásque*

que ſequelas conſideramus; (hh) ita quoque eadem prorſus diligentiâ harum motionum primordiis occurrendum erit; cùm etiam ibi omnis pariter morula ſummè noxia ſit ac periculoſa.

Id autem qui præſtiterit, is & citiùs & promptiùs inimicum proſternet, ac optata tranquillitate potietur; utì nobis ſponſor eſt S. Dorotheus, ſic ſcribens: *qui in principio vim ſibi fecerit, atque pugnando perſtiterit, multum ſanè proficiet, & deinceps pace bona & quiete perfruetur.* (ii) Contrà verò, qui ſecus egerit, qui primos hos motus inſoleſcere permiſerit, parvasque has viperas corde imprudens foverit, is tam parum illæſus evadet, ac ille, qui ignem ſinu recondit. O improvide! ait Salomon, *nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, ut veſtimenta illius non ardeant?* (ll) Jam autem quid aliud ſunt hæc appetitionum initia, quàm tenues ſcintillulæ, magnum minitantes incendium? & has tu gliſcere ſinas?

apage

(hh) In Pſal. 6. (ii) Serm. 10. (ll) Prov. 6. v. 27.

apage tam immanem vecordiam. Potiùs quamprimum ac se movere inceperint, mox eas victrici calce proteras, volo, extinguasque.

2. Alterum rebelles appetitus edomandi remedium in eo est positum, ut occasiones, quibus effervescere consueverunt, vigili oculo provideamus, ac contra eorundem assultus nos prævio munimine obarmemus. Salubre hoc consilium suggerit S. Ambrosius: *cavere debemus*, inquiens, *ne in perturbationes priùs incidamus, quàm animos nostros ratio componat. Exanimat enim mentem plerumque aut ira, aut dolor, aut formido; quia improviso percellunt ictu. Ideo prævenire pulchrum est cogitatione, ne mens imparata repentinis infestetur commotionibus.* (mm)

Hujus industriæ efficaciam ipsus Seneca, solo lumine naturali illustratus, agnovit, dum ait: *hostium adventus illos solùm prosternere, quos inopinatò occupat. At qui futuro se bello ante bellum para-*

(mm) L. 1. Offic. c. 1.

paraverunt compositi, paratique: primum, qui tumultuosissimus est, ictum fortiter excipiunt. (nn) Tela enim, quæ, dum advolant, observantur, provido corporis flexu facilè declinantur. Ne ergo improvisò te feriant, erunt priùs sedulò prospicienda.

3. Modum quod attinet & ordinem, in ipso conflictu tenendum, id cumprimis curandum erit, ut pugnam auspicemur â debellanda principaliori affectione fortioriqúe vitio. Documentum hoc authorem habet Abbatem Serapionem, quem Cassianus sic loquentem inducit: talis latebras sui cordis perlustret, & seligat sibi illam, quam inter reliquas perspexerit diriorem, atque adversùs eam specialiùs omnia spiritûs arma commoveat: & ita semper, validioribus superatis, celerem de residuis habebit facilemque victoriam; quia & mens triumphorum processu reddetur fortior, & infirmior pugna succedens, promptiorem ei faciet proventum præliorum; ùt fieri solet

(nn) De consolat, ad Helvi. cap. 5.

ſolet ab iis, qui coram regibus mundi hujus cum ferocibus congredi beſtiis præmiorum contemplatione conſueverunt. Hi enim illas feras, quas fortiores robore, vel feritatis rabie diriores conſpexerint, adversùs eas primæ congreſſionis certamen arripiunt; quibus extinctis, dein reliquas, quæ minùs terribiles minúsque vehementes ſunt, exitu faciliore proſternunt. Eodem modo etiam vitia ſemper robuſtiora primo loco ſunt impugnanda; his enim ſuperatis, infirmiora poſtmodum promptiùs expugnabuntur. (oo)

Alterum, quod huc pertinet, documentum in eo verſatur, ut præcipuæ primarii appetitûs ſeu vitii cauſæ ac ſcaturigines inveſtigentur, atque è medio tollantur. Id denuo docet idem Abbas Serapion apud Caſſianum, hac ſimilitudine uſus: *ſicut enim faciliùs cujuslibet arboris noxia latitudo ac proceritas exareſcit, ſi antea radices ejus, quibus innititur, vel nudatæ fuerint, vel*

(oo) Collat. 5. cap. 14.

succisæ. Et sicut infestantes humores aquarum continuò siccabuntur, cùm earum generator fons, ac profluentes venæ solerti industria fuerint obturatæ; (pp) ita & prævalentes pravi affectus facili negotio domabuntur, si detectas eorum causas ac radices generosa manu sustuleris. *Quam ob rem* (uti instruere pergit idem auctor) *ut acedia vincatur, priùs tristitia, unde illa profluit, superanda est; & ut tristitia propellatur, ira, quæ tristitiam parit, priùs extrudenda est; & ut extrudatur ira, philargiria, id est, auri & honorum cupido, calcanda est;* utpote quorum jactura iracundiæ flammas succendit; & sic de reliquis; subtractis enim causis profluentes inde affectus sua sponte deficient, *& extinctione præcedentium residuæ passiones absque labore marcessent.* (qq)

Hac ratione funiculus ille triplex, qua dæmon nos dominanti appetentiæ mancipatos tenet, nempe ignorantia mali, desperatio curæ, & neglectus

(pp) Collat. 5. cap. 10. (qq) Idem ibidem.

ctus aptiorum remediorum haud difficulter rumpetur. Nosque, agnita rei malitia, spe in DEUM erecti, per subsidia magis idonea dominantem nobis passionem, usurpato hactenus dominio, tandem exuemus, victamque in triumphum ducemus.

CAPUT V.

DE RESPECTU HUMANO.

Quàm magnum ſolidæ virtutis impedimentum, quin imò exterminium ſit, emerſum illud ex inferis monſtrum, reſpectus humanus, nullis coloribus ſat depingi, nullo ſermone ſat exprimi poteſt. Is enim eſt execrabilis ille *deus filiorum Ammon, Moloch* dictus, (a) cui olim filii Iſraël teſte Jeremia *initiaverunt filios ſuos & filias ſuas;* (b) cùm etiam huic innumeri gratiæ partus, pia ſcilicet propoſita, victimæ immolentur. Is eſt illud *idolum nomine Bel,* (c) quod non minorem modò animarum ſtragem, ac illud olim ciborum edere, tartarea ingluvie conſuevit. (d) Denique eſt ille *draco magnus, quem colebant Babylonii,* (e) & cui ipſe Cyrus Numinis aliquid

(a) 3. Reg. 11. v. 33. (b) Jerem. 32. v. 35. (c) Dan. 14. v. 2. (d) Dan. 14. v. 5. (e) Dan. 14. v. 22.

aliquid inesse excors credebat. (f) Cùm turmatim cæci mortales etiam huic portento: *quid dicent homines?* timidum flectant genu. At Danielis exemplo (g) & ego huic stygio fœtui larvam detrahere conabor, ejus I. stultitiam, II. tyrannidem, III. impietatem omnium conspectui exponendo; ostendamque, quod, licèt commentitius hic deus, alter veluti Bel, *forinsecus* appareat *æreus; intrinsecus tamen sit luteus*, (h) & cordato nemini formidandus.

§. I.

Respectûs humani stultitia.

I. Respectus humanus est vitiosa cupido hominibus placendi, eisque displicendi humilis metus, nos impellens ad plurima mala agenda, & bona omittenda, ut aliorum gratiam vel aucupemur, vel vituperium declinemus. Summam hujus vitii stultitiam esse, ex ipsa rei natura elucet. *I. Præhabet lutum auro.*

(f) Dan. 14. v. 23. (g) Dan. 14. v. 26.
(h) Dan. 14. v. 6.

Quid enim ſtultius, quàm nunc erubeſcere ob bonum, de quo æternùm gloriabimur; & gloriari de malo, cujus nos æternùm pudebit? plus timere dicteria mundi, quorum ineptiam nos ipſi explodimus; quàm judicia cœli, quorum æquitatem adoramus? malle perdere trium millionum gemmam, quàm futile vitrum; id eſt, integram majoris gloriæ & felicitatis æternitatem, quàm diurnum hominis favorem? malle offendere DEUM, *qui appendit tribus digitis molem terræ;* (i) quàm vilem homunculum, qui non eſt niſi *vapor ad modicum parens?* (l) nolle videri bonum, ne diſpliceas malis; licèt ob id ipſum diſpliceas bonis. In ſumma: nolle ſe ſalvare; quia alii ſunt ita amentes, ut velint damnari. Quæ hæc inſania!

O famelice popularis auræ captator! fatere, quod res eſt. Ain', an ignominia afficeres amicum potentem, munificum, divitem, ut gratiam ineas apud lacerum, impotentem, ulcero-

ſum,

(i) Iſa. 40. v. 12. (l) Jac. 4. v. 15.

sum, turpem mendiculum? An lacesseres regem, ne contristes ejus stabularium? O insane! injuriam, quam nec homini faceres, supremo Numini infers; cùm eminenter major intercedat distantia inter illum & te, quàm regem & servum. Et hanc infers illi DEO, â quo omnia habes, & unicè dependes: qui te eo ipso, quo hæc agis, momento eadem, qua muscam, facilitate conterere potest; & quidem amore vermiculi, qui ipsa impotentia, miseria, indigentia est; cum irreparabili jactura inæstimabilis lucri. Quid, quæso, amentia est, si hæc non est?

II. Sanè si mercator etiam ditissimus certò sciret, se non assecuturum mille aureorum fœnerationem, negligendo illud ipsum opus bonum, quod tu modò tam temerè, ne socium offendas, prætermittis, nullo id modo ob vanos timores intermissurus esset. Tu credis minimum gratiæ & gloriæ gradum hac ipsa pecuniæ summa infinitè præstantiorem esse, tibique pro omni æternitate longè utiliorem fore,

II. *Eligit malum majus, ut vitet minus.*

quàm omnes totius orbis thesauros. Scis, pœnam, ob ejus neglectum tibi infligendam, acerbiorem fore omnibus suppliciis hujus mundi; & tamen in gratiam hominis, qui *pulvis exiguus est & nihilum*, (m) illum negligis, hanc incurris. Quæ hæc dementia! O Deum immortalem! ergóne solùm cælestia ejus generis bona sint, quæ jure prodigantur ob futilem quemque respectum, ob quem nec terrena negligerentur.

Edic, si quis sibi pedem abscinderet, domum incenderet, gulam frangeret, ut levem culicis morsum effugiat; an non mente captus diceretur? Ah stulte! quid aliud agis, dum animam lædis, gratiam spernis, lustrales flammas succendis; ut mordax aliquod verbulum, inane ludibrium, momentaneæ irrisionis pulvisculum excutias? quis, obsecro, insanire te neget? O Domine! *aufer iniquitatem servi tui; quia insipienter egi;* (n) dum humanum favorem

(m) Isa. 40. v. 17. (n) 1. Paral. 21. v. 8.

vorem Divino prætuli. Pudet me *â facie insipientiæ meæ!* (o) Plura effari pudor vetat.

§. II.

Respectûs humani tyrannis.

I. Adhæc noxiæ hujus erubescentiæ non solùm ingens stultitia, sed summa insuper tyrannis est. Quid enim durius graviusque, quàm liberum te alieno impetu regi? rationalem te alterius errorem viæ ducem sequi? virtuti natum habere pro recti norma aliorum vitia? sinere te in quamvis partem pro libitu flecti â lunatica eorum opinione, qui cras denuo fecisse te culpant, quod tamen, ut facias, hodie volunt? Quid inclementius, quàm subesse illorum cœcæ affectioni, qui contrariis motibus in gyrum instar pilæ aguntur, ac in horas ridiculi mutantur?

I. *Privat libertate & existimatione.*

Et huic subesse in rebus summi momenti, animæ ac æternitatis? reclamante

(o) Psal. 37. v. 6.

mante intellectûs lumine, ingemiſcente conſcientia, & Cœlitibus Nemeſis iram denunciantibus; & quidem huic ſubeſſe tunc ſolùm, quando agitur de ſervitio & gloria Numinis; qui idem jugum mox excutimus, dum periclitatur favor aut gratia principis, aut alterius, quem reveremur, ſuperioris?

Quid inhumanius, quàm hominem animantium regem, DEI filium, cœli hæredem non ſolùm ſecundùm bona fortunæ, ſed omnino animi, non imperatoris cujusdam aut monarchæ, ſed æqualis ſibi ſocii turpe mancipium eſſe; ſuamque rationem ac libertatem, quæ maxima ejus decora ſunt, alterius phantaſiæ ſponteneo famulatu mancipare, ac omnem præterea, qua apud alios pollebat, exiſtimationem talis fungi ſtultæ lubidini victimam immolare; ita ut *venundatus ſub peccato*, non jam, *quod* probat, *bonum hoc faciat*, *ſed quod* damnat *malum*, *hoc agat?* (a) O verè ſervitutem omni Turcica crudeliorem; illa enim ſolùm privare nos poteſt

(a) Rom. 7. v. 14. & 19.

potest bonis terrenis, externis, temporariis; hæc verò insuper nos spoliat bonis interioribus, supernis, immortalibus: non solùm corporis sanitate, & nominis fama; sed etiam cœlesti gratia, majori gloria, ac ipsa non parò salute æterna.

II. Condolemus miseræ illorum sorti, qui olim tyrannorum jussu suis se thesauris ipsimet exuere, proprios infantes paterna manu trucidare, ac denique apertis oculis, ac ridenti ore in succensum clibanum voluntario saltu se conjicere cogebantur. O miser! par in te sœvities est tui illius idoli; *quid dicent homines*; id enim æquali furore te adigit, ut innumeros gratiæ & gloriæ gradus sponte à te abjicias: ut *parvulos tuos*, nempe optima sanctioris vitæ desideria, *ad petram scandali* ipsus *allidas*; (b) & in purgantes denique rogos amenti lubentia temet ipsus tu præcipites.

II. *Et innumeris cœli donis.*

Et licèt cum Paulo subin, hujus jugi pertæsus, ingemiscas: *infelix ego homo, quis*

(b) 136. v. 9. & Isa. 8. v. 14.

quis me liberabit de corpore mortis hujus, id eſt, ex vinculis reſpectûs humani! licèt, inquam, ſuperno lumine illuſtratus, viam & modum conſpicias, qua te poſſis *liberare à ſervitute corruptionis, & in libertatem gloriæ filiorum DEI* aſſerere; (c) tamen, neſcio, quo faſcinatus philtro, id renuis, ſubigi gaudes, ac etiam amas tyrannum, *captivantem te in lege peccati.* (d) Hoc enimvero te quovis ſervo deteriorem reddit; cùm te infame hoc ſcelus non ſolùm ratione & libertate, ſed ipſo etiam liberationis voto ſumma tyrannide exuat. O quis *evellet de* hoc *laqueo* & fero mancipatu *pedes meos!* (e) Fac, Domine, ut etiam *mihi pro minimo ſit, ut ab* homine *judicer, aut ab humano die.* (f)

(c) Rom. 7. v. 24. & 8. v. 21. (d) Rom. 7. v. 23. (e) Pſal. 24. v. 15. (f) 1. Cor. 4. v. 3.

§. III.

§. III.

Respectûs humani impietas.

I. DEnique enormis pariter hujus monstri impietas est. Hanc ut pleniùs cognoscas, repentem humi mentem nonnihil erige, oculos in cœlum attolle, ac rei, quam patras, indignitatem perpende. En! hanc ipsam, quam nunc ex vano metu ponere, vel omittere cogitas, actionem infinita DEI Sanctitas ùt impiam, ejus Sapientia ùt stultam, ejus Æquitas ùt iniquam improbat, dissuadet, vetat. Suffragatur æterno annutu trina Personarum unitas: subscribit suo sanguine Christus: Divinum hoc senatûs-consultum universa cœlestis curia supplex adorat. Contrà verò abjectus aliquis ranunculus, temerè ex vitiorum cœno putre exerens caput, id est, leviculus quidam socienus, cujus intellectus merus error est, & voluntas vivus Aprilis; is eandem rem, interposita auctoritate sua (vah pondus grave!) tibi ùt generosam prædicat, suadet, imperat.

I. *Est ingens vilipensio Numinis.*

Jam

Jam cursum sistatis, ô sidera! & huic scenæ attendatis, velim. Quid eliges jam, ô Christiane? En! spectaculum factus es angelis & hominibus, qui ad faciendam à te electionem cupidi mentem intendunt. Ut cœli decreto auscultes, hortatur custos genius, rogant cœlicolæ, promissis Misericordia, minis Justitia insistit. Solus hic tuus familiaris, objecto inani terriculo, in oppositam te partem impellit. Verbô: qui prohibet, DEUS est; qui jubet, homo.

Jam age, quid statuis? cui obsecundabis?... Dubitas!... An ergo huic cœnoso coaxanti ranunculo (quid enim aliud est iste gregalis tuus, Numini comparatus?) an, inquam, huic præ S. S. Triade, conculcato ejus mandato, morem geres?... Ita est, ais: geram. Verùm adverte, obsecro, quid facias? En! iste ipse corrupti judicii socius tuum hoc factum cum tempore ipsemet ùt illicitum reprobabit. Tu ipse sub mortem illud ùt fatuum damnabis. Extremo judicii die universus

orbis

orbis vesanæ improbitatis te arguet. . . . Reprobet ille, damnem ego, arguant omnes; nil obest, ais: ringentibus superis sodali huic meo nunc gratificabor. Vah impium te! ergóne petulcam hujus nihili phantasiam justissimo Æternæ Mentis placito præhabebis?... præhabebo, inquis.

Sed perpende, quæso, te ob eandem ipsam actionem, qua cupis placere malis, odio futurum bonis; plusque vituperii ab his, quàm laudis ab illis te relaturum. Sit, reponis: displiceam DEO, modò non displiceam homini: offendatur Christus, modò non contristetur amicus: indignentur Cœlites, modò non irrideant sodales: sim horrori bonis, modò cordi sim malis. Ita tu non quidem verbis, sed tamen factis. O cœlum! hæc audis, nec tamen excusso fulmine temerarium é vestigio punis! Quid hìc magis admirer? num insanam mortalium protervitatem; an verò patientem Summi Entis clementiam?

O Superi! credere orbis Conditorem infinitè plus prodesse nobis, ac nocere posse, quàm omnes simul res creatas: Eundem adorare ùt DEUM, timere ùt judicem, colere ùt summè beneficum: palam jactare, nos Eum amare ùt patrem, in Eum sperare ùt unicum boni fontem, ad Eum tendere velut ultimum finem; & tamen mox eodem vix non momento Eum lædere, irritare, lacessere: homini, qui *putredo & vermis* est, (a) postponere; idque agere, non ut universi ruinam impediamus: nec ut à diris nos cruciatibus aut probrosa morte liberemus; sed (ô stellæ occulite radios!) ne vili lumbrico, impudenti socieno leve fastidium creemus: ne in leviculi homuncionis offensiunculam incurramus; .... & quidem ex mera petulantia, nullo tyranno cogente, nemine prœmiis alliciente, ... ex solo puerili respectu; .... idque toties, ... post agnitam rei indignitatem, ... eo ipso tempore, quo Divina, omne meritum præveniens, dilectio tot aliis nos

præ-

(a) Job. 25. v. 6.

præfert, infinito amore fovet, ingentibus beneficiis complet; hoc certè ejus generis malitia est, cui læsa Divinitas meritò omni sua immensitate irascitur, & quam delinquentium conditio plurimùm auget, aggravatque.

Nam quod falsorum numinum cultores fanatico huic idolo sacrilegum curvent genu, id mitiùs ferendum est. At verò quod Christiani plus timeant joculares cavillationes impiorum, quàm martyres formidârint ignitas sartagines tyrannorum; Christiani, inquam, qui fidei causa impavido vultu tenentur occurrere tortorum ensibus, subire catastas, conscendere equuleos; quod Religiosi, qui ad necem & tormenta pro Christo subeunda umbratili fervore ultro aspirant; quod hi, inquam, ad unicum hoc verbulum: *quid dicent homines?* toti palleant, & contremiscant; quod hos coram nauci socio ob imaginariam contemptûs umbram virtutis pudeat; quod hi amicitiam humanam cum jactura Divinæ mercari non horreant; id profectò tanta tamque abo-

minanda perverſitas eſt, quam Dominus jure caſtigat illa talionis pœna, per Lucam intentata his verbis: *qui negaverit me coram hominibus*, etiam hic *negabitur coram angelis DEI:* & *qui me erubuerit*, etiam hunc *filius hominis erubeſcet; cùm venerit in majeſtate ſua.* (b)

Toties enim aliquo ſenſu illum negamus, ejusque erubeſcimus, quoties ex ſtulto pudore vel bonum omittimus, vel malum committimus. Nam eſſe quidem pios, nolle tamen videri, ne rideamur ab impiis; odiſſe quidem vitium, id tamen tegere, ne virtutis cultores habeamur; quid hoc eſt aliud, quàm profiteri quidem Chriſtum, ſed erubeſcere Evangelium? ejus doctrinam quidem recipere, ſed praxin reſpuere? eſſe Chriſtianos ore, ſed transfugas opere, ac in gratiam hominum prodere cauſam DEI?

II. *Eſt quædam ſpe-*

II. Et certè vix ullum aliud crimen majorem cum merè externo, metuque

(b) Luc. 12. v. 8. & 9. v. 26.

que extorto, deorum cultu affinitatem habet ac præsens hæc animi labes. Prioris enim delicti enormitatem Apostolus in eo constituit, quod gentes *coluerint, & servierint potiùs creaturæ, quàm Creatori.* (c) Quid autem minùs hi faciunt, dum supremam Majestatem offendunt, ne gregalem lædant? Quid enim hoc est aliud, quàm colere cœnum præ cœlo, & servire potiùs creaturæ quàm Creatori? *cies idololatriæ.*

Nec obest, quod solùm extrinsecùs tales se simulent; mente verò debitam Superis clientelam semper deferant. Licèt enim is, qui solùm fictè Jovi thus adolet, corde Christum adoret; quia tamen aliquod huic trunco numen inesse exteriùs ipso opere loquitur, id jam sufficit, ut desertor audiat, & gravissimi flagitii reus; nam quamvis christianè sentiat, tamen ethnicè agit. Idem præstat, qui ob noxiam ejusmodi verecundiam temerè delinquit.

(c) Rom. 1. v. 25.

Nam etiam ille non quidem assensu interno (aliàs blasphemus foret hæreticus) sed tamen ipsa actione externa palam ostendit, & declarat, digniorem esse suum hunc contubernalem, cui satisfiat, quàm DEUM; minoris faciendam esse offensam hominis, quàm Numinis; majora esse bona, ob quæ in gratiam amici peccatur, quàm illa sint mala, quibus hæ noxæ puniuntur; & quàm illa sint præmia, quæ in cœlis sperantur. Ut proin respectus humanus propter eam, quæ intercedit, similitudinem non minori jure, ac *avaritia simulacrorum servitus* nuncupetur. (d) Edicite jam, quid de hac animarum peste fœdius dici, quid de ejus malitia execrabilius concipi mente possit?

III. *Est causa ruinæ gentis humanæ,*

III. Verùm erramus, dum summa hæc esse credimus. Geminas adhuc scenas orbis theatrum spectandas exhibet, quæ hujus portenti impietatem coloribus genuinis vivaciùs adumbrant. Primam nobis pandit ille *flammeo atque versa-*

(d) Colos. 3. v. 5.

versatili gladio armatus *Cherubim*, qui *ante paradisum voluptatis* custos à DEO *collocatus*, (e) inde primos Parentes in flebile exilium, interdicto æternùm reditu, tristes propellit. Consideremus jam pedissequas hujus proscriptionis miserias, nempe apertas orci fauces, clausas cœli portas, terram omnium malorum alluvione oppressam; & tam universali mortalium clade attoniti, quis illas aperuerit, istas clauserit, hanc oppresserit, percontemur?

Ah! aperuit, clausit, oppressit respectus humanus; dum in Adamo vetitum glutiît pomum, ne uxorem contristaret. Is is est ille prædo, qui genus humanum Jerichuntem profugum immortalitate, justitia, gratiis, appetitionum dominio privavit, *plagis impositis semivivo relicto*; (f) & horum loco mortem, peccatum, cupiditatum rebellionem plena eluvie in mundum invexit. Vah! monstrum execrabile!

(e) Gen. 3. v. 24. (f) Luc. 10. v. 30.

IV. *Et cruentæ adeò mortis Christi.*

IV. Alteram feralem tragœdiam nobis repræsentat Calvariæ clivus. Intueamur hìc unigenam æterni Patris Filium, probrosæ trabi tribus clavis affixum, duos inter latrones medium, ab omnibus derelictum, toto corpore saucium, horrendos inter cruciatus & calumnias cum clamore valido exspirantem. O cœli! quis, quæso, tyrannus, quæ pasta tigride bellua crudele hoc facinus patravit?

Ah! respondent *angeli, pacis amarè flentes:* (g) *inimicus homo hoc fecit;* (h) respectus humanus est illa *fera pessima,* (i) quæ per Pilatum tragicum hoc spectaculum edidit. Cupido placendi Hebræis, Cæsariique displicendi timor, hic Servatorem flagellis discerpsit: hic homicidæ posthabuit, & contumeliis affecit: hic furibundæ plebi innocentem tradidit, in furcam agendum. O nefas horrendum, immane, ingens! ad cujus conspectum meritò sol obscuratur, petræ scinduntur, & ipsa tremunt funda-

(g) Isa. 33. v. 7. (h) Matth. 13. v. 28.
(i) Gen. 37. v. 33.

fundamenta terræ. Hìc certè, si unquam aliàs, hujus pestis stultitia, tyrannis, improbitas orbi exposita patuit; hìc suum illa virus ante omnium oculos palam exeruit.

Nam Pilatus hunc oblatum sibi à sacerdotibus hominem criminis purum esse ipsus agnovit: sciebat, *quod* solùm *per invidiam tradidissent eum:* (l) publicè fatebatur, se *nullam in eo mortis causam invenire:* (m) quin imò etiam *quærebat dimittere eum.* (n) At en! vix *Judæi clamârunt, dicentes: si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris;* (o) cùm ecce! mox in alium abiens virum, æquitatis repente oblitus, sine mora *adduxit JEsum foras; sedit pro tribunali;* (p) dimissoque Barrabba, *volens satisfacere populo,* (q) *JEsum tradidit voluntati eorum, ut crucifigeretur.* (r) Vix respectus humanus media é turba impium extulerat caput; vix vocem intenderat, Præsidisque animum

(l) Matth. 27. v. 18. (m) Luc. 23. v. 22. (n) Joan. 19. v. 12. (o) Joan. 19. v. 12. (p) Joan. 19. v. 13. (q) Marc. 15. v. 15. (r) Luc. 23. v. 25.

perculerat; mox omnis juſtitiæ amor, incuſſus ab uxore terror, conceptus de Meſſia timor momento citiùs evanuit: mox omne lumen intellectûs, conſcientiæ ſtimulus, futurorum metus ſubitò interiit. Tanta tamque ſceleſta, amens, & tyrannica hujus vitii rabies eſt.

Huc ergo jam adeſte, ô delira aliorum phantaſiæ mancipia! hunc montem conſcendite, ad crucis pedem accedite, & hac decempeda hujus flagitii perverſitatem metimini. En! illud ipſum ſcelus, quod in Pilato execramini, hoc in veſtro jam ſinu velut aſylo fovetis; eidemque idolo, cui Pilatus DEI Filium, vos animam immolatis; & quidem hæc credentes, reique malignitatem cognoſcentes immolatis. Quæ hæc temeritas!

Quid ergo mirum? quod olim Divinus Judex, cùm agnum exutus, leonem induerit, & tortores flammæ ultrices ſuas exerent vires, talibus inſultaturus ſit, dicendo: *ubi ſunt dii veſtri*,

stri, in quibus habebatis fiduciam? quorum fovorem meæ gratiæ prætulistis; *surgant* modò, *& opitulentur vobis;* (s) eruant modò vos é manibus Omnipotentiæ meæ, quam toties offendistis, ne illos affligeretis. Quid mirum? quod tales post mortem non participent suffragia Ecclesiæ, quibus Lancicius (t) illos privari censet, qui, dum viverent, pluris faciebant homines, quàm DEUM. Ex his patet, quanta in oculis Divinæ Majestatis, quamque detestabilis ac noxia hujus delicti nequitia sit.

O *Domine! qui vitæ & mortis habes potestatem, & deducis ad portas mortis, & reducis:* (u) coram quo *tanquam momentum stateræ, sic est orbis terrarum,* (x) heu! quid feci? dum ex vano respectu aut bonum aliquod omisi, ne riderer; aut malum aliquod patravi, ut

(s) Deut. 32. v. 37. & 38. (t) Tom. 1. Opusc. 6. cap. 4. ubi hæc habet: *prudenter rem ponderando, non videntur ii mereri post mortem suffragiorum auxilia, qui dum viverent, pluris faciebant homines quàm Deum, cedendo humanis respectibus.*

(u) Sap. 16. v. 13. (x) Sap. 11. v. 23.

ut laudarer; dum te læsi, *qui potes & corpus & animam perdere in gehennam,* (y) ne hominem contristarem, qui non est nisi *gutta roris antelucani.* (z) Agnosco tandem hujus noxæ stultitiam, odi tyrannidem, abominor impietatem. Inspectante cœlesti curia universa, pleno rationis sensu & voluntatis consensu imaginarium illud idolum: *quid dicent homines,* ex cordis ara jam nunc deturbo, conculco, execror. Obmutescat potiùs lingua, exarescant citiùs manus, quàm ut posthac aliquid agant, aut loquantur, quod hunc execrabilem affectum sapiat. Deinceps tibi, ô DEUS! placere unus sit labor meus, tibi displicere unus timor.

§. IV.

Respectûs humani antidota.

Cùm respectus humanus (ùt superiùs dictum) sit vitiosa cupido hominibus placendi, eisque displicendi humilis metus, palam est, eum superbiæ

(y) Matth. 10. v. 28. (z) Sap. 11. v. 23.

perbiæ suam genesin debere, ex qua ille timor contemptionis, & amor æstimationis enascitur. Quod biceps monstrum postmodo causa est, ut plurima patrentur mala, & omittantur bona ideo solùm, ut vel aliorum gratiam & laudes aucupemur, vel dicteria & despectiones evitemus. Geminum huic malo antidotum oppono, 1. humani judicii contemptum, 2. Divini judicii metum. Illius enim impiam inanitatem; hujus verò summum rigorem si rite perpenderimus, illud idolum: *quid dicent homines?* victrici pede calcabimus, eique ærea fronte audaces insultabimus.

I. Primum igitur quod attinet scilicet humani judicii contemptum, ut is altas in animis radices agat, sufficiet illius vanitatem acutiori oculo inspexisse. Hanc autem, ut plena luce cognoscas, solùm consideres, velim, quinam ergo sint illi *montium dii*, (a) *filii Titan & excelsi gigantes*, (b) quorum deliramenta vivendi tibi regula sunt? *I. Humani judicii contemptus.*

(a) 3. Reg. 20. v. 28. (b) Judith 16. v. 8.

ſunt? nempe homines ſunt natura tibi ſimiles, conditione æquales, dotibus fors inferiores; iiq́ue erronei, inconſtantes, vitioſi, quorum opinionibus error, affectibus inconſtantia, exemplo improbitas omne pondus adimit & momentum. Singula breviter expendamus.

1. Inprimis illi (ſi Superis placet) *de genere giganteo* heroes, (c) quorum amore leges violas, animam lædis, DEum irritas; *mortales* ſunt ex eodem, quo tu, limo compacti: iisdem, queis tu, miſeriis ſubjecti: in eundem, quem tu, cinerem redigendi. Sunt urbis ejusdem cives, domûs ejusdem incolæ, religionis ejusdem membra, quos tu forſitan proſapiâ, virtute, ſcientia antecellis, ſuperasq́ue.

Et horum tu criſes adeò anxiè formides? horum tu ſenſis ſacrilegum thus mox pronus adoleas? horum tu verba veluti verbera tam pavidè timeas? horum, inquam, tu cenſuram adeò

(c) Num. 13. v. 34.

adeò pertimescas, qui tamen tuam, quam tu de ipsis foves, existimationem flocci faciunt, & superbo risu exsibilant? qui tuam de ipsis sententiam æquè parum, ac muscæ stridorem curant? quibus tu eodem, quo fungus, es loco? & horum de te judicium tibi sit adeò sacrosanctum? & quidem tibi? cùm tamen illis tua de ipsis opinio non nisi nugæ sint & aniles gerræ. Quæ mentis, quæso, hæc vilitas?

Quidcunque tu de illis sentias, dicasque, propterea illi nec latum unguem ab arrepto teporis tramite deflectent. Sive suo agendi modo tibi placeant, sive displiceant, id curarum illis ultima est. Propter te nec capillum curvabunt. Cur ergo tu eos adeò supplex reverearis? cur tu eorum causa Numen offendas? cur tu propter eos desinas esse bonus; cùm tamen ji propter te minimè omittant esse mali? Illis non plus juris in te, quàm tibi in eos competit; cur ergo tu illorum phantasiæ mancipium sis? cùm eorum habilitatem præ tua despicias; cur non

&

& eorum judicium præ tuo contemnis? cùm in aliis rebus te eisdem præferas; cur non & in hac? cùm te illis censeas meliorem, cur non & prudentiorem? Age ergo, & humiles hos abjice respectus; hìc enim superbias, licet. Par pari rependе: contemptui contemptum repone: ridentes te, etiam tu sed sanctiùs ride. Quod enim illi sunt, etiam tu es, æquali sorte beatus.

2. Idque eò magis te facere convenit; cùm non solùm ejusdem tecum fortunæ *homines*, sed *erroneis* insuper opinationibus obnoxii homines sint. Nam hoc ipso, quod ii, pietati deditos, obloquiis vexent; liberioris verò genii trossulos pro semi - deis habeant? hoc ipso quod fervidos fugiant, tepidos ament, virtutem horreant, vitio blandiantur, probanda culpent, & culpanda probent, manifestum est, eos illorum ex numero esse, qui, sacra testante Pagina, *non sapiunt ea, quæ DEI sunt; sed quæ hominum*, (d) *& quæ carnis sunt*, (e) *dicentes bonum malum, & malum*

(d) Marc. 8. v. 33. (e) Rom. 8. v. 5.

malum bonum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. (f) Quorum proin *sapientia stultitia est apud DEUM,* (g) & merus error. Nam cùm contraria Christo sensa foveant; æterna verò Sapientia falli nequeat; ergo eos in suis ideis errare, evidens est.

Et horum erroneam tu argutationem cœcus adores? tu, inquam, qui etiam in rebus fidei subin dubius hæres. Horum dicteria Delphicæ Tripodis tibi oracula: horum erraticæ deliationes vitæ tibi regula sint? Obsecro, quæ Circe te fascinavit, ut omnem tibi rationem adeò fœdè incantari sinas? Quis enim prudens litteras negligit; quia hæ ab indoctis vilipenduntur? quis fame se conficit; quia furiosi cibum esse venenatum vociferantur? quis argentum abjicit; quia ab imperitis stannum dicitur? Et tu scientiam Sanctorum, animæ cibum, virtutis curam temerè spernas; quia ista â deliris homunci-

(f) Isa. 5. v. 20. (g) 1. Cor. 3. v. 19.

muncionibus ſtulto riſu exſibilantur? quæ hæc prudentia!

3. Quid? quod erronei hi cenſores in ſuis quoque judiciis mirè *inconſtantes* ſint. Nam quem hodie laudibus ſuper æthera tollunt, ingeſtis cras vituperiis, infra tartara deprimunt: quod hodie approbant, cras denuo improbant: qui hodie ab ipſis heros, cras audiet fungus. In ipſorum mente non ratio, ſed dominans affectio pro tribunali ſedet, quæ pro varia temporum viciſſitudine, aëris mutatione, humorum agitatione, bilis commotione abſolvit, vel damnat: eligit, vel reprobat: laudat, vel vituperat, non quod æquitas dictat, ſed quod impetus ſuadet.

Et hi errones omni momento mutabiles: hi ignes fatui quovis flatu mobiles: hæ animatæ lunæ viviqúe apriles vivendi forma viæqúe ad cœlum tibi duces ſint? Horum cenſoria virgula tibi altera Moyſis virga ſit, quæ minaci cuſpide omittenda tibi, agendaqúe

daque designet? Vah! pudeat te tui, &, si vel unica judicii scintilla tibi superstes gliscit, saniora decerne.

4. Accedit, quod inconstantes hi Vertumni insuper *vitiosi* sint; variisque nævis contaminati ita vivant, ut jure vilipendi ab aliis, contemnique mereantur. Et de hac illorum vitiositate tibi constat; nisi enim tales eos esse tu ipse existimares, nec per vitium te illis placiturum sperares, nec ob virtutem displiciturum timeres. Utrumque ergo cùm speres, & timeas, patet, illos etiam â te imperfectis annumerari, & probitatis parum studiosos censeri. Et isti jam tibi sint norma recti? horum judicium tuum sit Deuteronomium? horum vita morum tibi speculum sit?

Quæ hæc amentia! scire eos homines esse tibi æquales, erroribus obnoxios, inconstantiæ devotos, defectibus plenos; id, inquam, scire, imò & fateri; nec tamen eorum deliramenta contemnere; quin ea etiam pertimescere, revereri, ac suspicere; id enimvero improba fatuitas & fatua

improbitas eſt, luſtrico carcere & flammantibus catenis digna.

At dices: agnoſco quidem rei indignitatem, ingemiſco ipſus ego miſeræ ſorti meæ; quin & iraſcor duræ ſervituti. Sed ferendum eſt, quod vitari nequit: ex hoc morbo non ſolus decumbo: ſerviendum tempori: connivendum praxi: exſpectandum, donec ſanctiora redeant ſæcula. Aliorum enim genio nî me conformavero, dicteriis carpent, cachinnis explodent, ſarcaſmis obruent? eoque meta, in quam aculeata verborum jacula omni ex parte convolabunt.

Verùm ô bone! ſecus ſi feceris, ſi hominum tibi æqualium, erroneorum, inconſtantium ac vitioſorum ineptas opinationes deſpexeris; pii te encomiis efferent, ſummè æſtimabunt Cælites, Chriſtus ipſe paterno affectu te complectetur, & coram Patre Divino totaque cœleſti curia ſuum te eſſe palam profitebitur? memor ſcilicet ſui illius promiſſi: *omnis, qui confitebitur me coram*

ram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo; (h) apud quem nec mundi stilus, nec temporum iniquitas, nec reorum numerus te excusabit. Hîc ergo jam delibera, & cuinam parti odiosus esse eligas, determina; nempe an piis, Cœlitibus, Christo? num verò insulsis quibusdam, lunaticis & probitate carentibus socienis? qui tamen ipsi olim suum hoc judicium damnabunt, teque, quod secutus id fueris, culpabunt.

Antequam tamen quidquam decernas, priùs seriò perpende, an non ferreis digna clathris mania sit, velle displicere bonis, ne displiceas malis? malle offendere custodem Angelum ipsumque DEUM, quàm pauculos quosdam effrontes, tepidos ac petulantes socios? licèt provideas, te nec his omnibus satisfacturum. Bene, inquam, priùs considera, *an non cordatis hominibus* (verba sunt Gregorii Nazianzeni) *pluris faciendum, magisque curandum sit judicium Numinis, quàm omnium*

(h) Matth. 10. v. 32.

aliorum in unum coactorum? Et quidnì? (pergit idem Sanctus) *An ergo judicium cæci de coloribus præferes judicio oculati? An ergo, velut alter Roboam, judicia juvenum præferes judicio senum? Et cùm DEUS & homines inter se expenduntur; an ergo judicia hominum potiora duces, quàm DEI?* (i) hominum, inquam, & quidem talium, quos ut omnes tibi & constanter faventes habeas, nunquam obtinebis.

5. Id enim qui intendit, qui omnibus & semper placere cupit, is hircocervos venatur, vulpanseres aucupatur, *stulto labore consumitur.* (l) Quidcunque agas, ô vane! quacunque gradiaris via, in quamcunque te flectas partem, censoriam mortalium ferulam nunquam & nuspiam effugies. Nam (quod pii Ascetæ effatum est) *omnibus placere non est possibile. Et licèt Paulus omnibus omnia factus est; tamen ne ab aliis aliquando judicaretur, vel non despiceretur, cohibere non potuit.* (m)

Ne

(i) Oratione 2. (l) Exod. 18. v. 18. (m) De imit. Christ. l. 3. c. 36. n. 1.

Ne quidem illis gregalibus tuis omnibus & semper probaberis. Cùm enim illi ob discordantes, quas nutriunt, affectiones regnum inter se divisum sint, diversa sentiant, & mutuò contraria velint; quidquid facias, apud eorum aliquem delinquas, oportet; unique velificando, hoc ipso alterutrum contristes, necessum est. Cumque insuper ii, utpote pravis motionibus obnoxii, se invicem plerumque etiam aversentur; ut uni injucundus accidas, satis erit, arrisisse te alteri. Quin etiam illos ipsos, apud quos hodie cum reliquorum offensa gratiam injisti, cras tibi pariter ob rem nauci offensos senties. Imò ut nemini placeas, sufficiet hic tuus aliis displicendi metus. Et sic non solùm apud Cælicolas & probos, quos tamen ob tepidos spernis; sed etiam apud tui furfuris sodales, quorum amore conscientiam maculas, justa Talionis pœna offensionem incurres.

Hæc ergo cùm ita se habeant, te ipsum modò judicem volo, an non

deliræ mentis indicium ſit, ſui ipſius tortorem agere, dæmonis martyrem ac ſtultæ aliorum phantaſiæ mancipium eſſe; quin imò propriam animam, pios omnes, ipſamque adeò æterni Numinis Majeſtatem audaci protervia lædere, irritare, laceſſere, ut effugias judicia mundi, quæ tamen hactenus nemo unus nec ipſe Chriſtus declinare potuit? ipſus, inquam, tu judica, an non ingens hæc dementia ſit? Cùm ergo cribro aquam haurias, quicunque criticos aliorum dentes te evaſurum ſperas; ſolùm ſupereſt, ut generoſè contemnas, quod, ut devites, adipiſci non vales. Ipſa hæc infelix, aliorum cenſuras ſubeundi, neceſſitas te illas animo ſanctè ſuperbo deſpicere doceat.

6. Et tandem quid mali tibi inferre, vel quid boni afferre, hæ aliorum de te opinationes poſſunt? eæ nec meliorem te, nec deteriorem reddent. Quid confert Soli, eundem ab Indis coli ùt DEUM? & quid nocet Lunæ, eandem â canibus allatrari? Quid decedit

cedit auro, si à cœco credatur plumbum? aut quid pretii accedit vitro, si ab imperito censeatur gemma? Pone, agasonem putari regem; num is regium propterea conscendet thronum? Finge, Cræsum judicari Codrum, aut vice versa; num ille propterea egentior, hic ditior erit? Improbus si es, talis manebis; licèt homines te sanctum jurent. Probum autem si te conscientia clamet, talis eris; licèt æmulus livor te improbum jactet.

Quod es, hoc es (ait Thomas à Kempis) *nec major dici vales, quàm DEO teste sis. Non es sanctior, si laudaris: nec vilior, si vituperaris.* (n) *Sive enim bene, sive malè interpretati fuerint, non es ideo alter* homo. (o) Ergo (pergit concludere idem Auctor) ergo *humanum ne metuas judicium.* (p) Sed potiùs generoso neglectu despice ridiculum illud phantasma: *quid dicent de me, quid sentient homines?* Dicant sanè,

(n) De imit. Chri. l. 2. c. 6. n. 3. (o) Ibid. l. 3. c. 28. n. 2. (p) Idem l. 3. c. 36.

& ſentiant illi, quodcunque voluerint; tu eſſe cura, quem te exoptat DEUS, & tibi ludibrio ſit mundus. Tædeat te ventis auræ popularis inſtar erraticæ nubis variè circumferri, & levem in diverſa abripi non pondere rerum, ſed opinionibus hominum.

Excute tandem perniciosam hanc, quam hactenus animo foviſti, de aliorum judiciis æſtimationem; cùm ea ſit fons, ſi non omnium ſaltem præcipuarum, quibus cruciamur, afflictionum. Dum enim quis ob locum, in quo degere: aut ob munus, quod cogitur obire, triſtis dejicitur; dum de alterius obloquio, negato honore, illata injuria querulus dolet, unica plerumque morbi cauſa eſt hominum de hac re opinio. Sola hæc cogitatio: *quid alii nunc dicent, quid de me cogitabunt, & ſentient?* eſt ille nequam artifex, qui plerasque noſtras cruces, opitulante phantaſia, fabricatur, exaggerat, extendit, aggravat, & auget. Solummodo ſcrutare mentem tuam, ac nonnihil in motionum tuarum origi-

originem inquire, & rem me unaque ulcus tuum acu tetigisse fateberis.

Quicunque ergo lætos vivere soles ac aureum cupis ævum; quicunque stabili pace perfrui tranquillus optas, execrandum hoc idolum: *quid dicent homines?* oblivioſi contemptûs tenebris sepelias, ac solicitè caveas, oportet, ne illud â superbia ullo unquam tempore in lucem denuo protractum, cordis aræ imponatur; & experieris humani judicii neglectum, pellendo respectui humano, excellens subsidium esse.

II. Alterum fugandi hujus mali remedium ac potens pariter, hominum opiniones contemnendi, incitamentum est solidus, ac altè animo impressus, Divini illius Judicii metus, quod sub finem mundi *Filius hominis, veniens in nubibus cœli cum virtute multa & majestate*, instituet. (q) II. *Divini judicii metus.*

1. Hujus scenæ timorem efficax contra tartaream hanc pestem antidotum

(q) Matth. 24. v. 30.

tum esse, testatur ipse Gentium Doctor Paulus. Cùm enim ad Corinthios scripsisset, *sibi pro minimo esse*, ut ab eis judicetur aut ab humano die, rationem, ad spernenda mortalium sensa se impellentem, mox exprimit, dicens: *nam qui judicat me, Dominus est;* (r) non æqualis mihi, erroneus, inconstans, vitiosus & impotens homuncio; sed Dominus, & quidem *Dominus Omnipotens;* (s) *cui non est similis:* (t) *in cujus manu omnis sapientia:* (u) *qui idem semper est*, (x) *magnificus in sanctitate*, (y) *fortis potentia;* (z) *cujus iræ nemo potest resistere;* (w) *qui potest perdere, & liberare;* (aa) hic, inquam, eos, qui favorem hominum Divino prætulerunt, *statuet in judicio vivos; cúmque arguerit eos, etiam corripiet eos;* (bb) *& effundet quasi ignem indignationem suam* super eos. (cc)

Tunc

(r) 1. Cor. 4. v. 3. & 4. (s) Judith. 16. v. 20. (t) Psal. 85. v. 8. (u) Sap. 7. v. 16. (x) Psal. 101. v. 28. (y) Exod. 15. v. 11. (z) Eccli. 15. v. 19. (w) Job. 9. v. 13. (aa) Jac. 4. v. 12. (bb) 4. Esdr. 12. v. 33. (cc) Thren. 2. v. 4.

Tunc *revelabunt cœli iniquitatem* ac stultitiam respectûs humani, & *terra exurget adversùs impios* hujus idoli cultores. (dd) Ipsimet miseri illi, oborto lumine, intimè perspicient inanitatem mortalis judicii, ac æternitatis radio illustrati, plena luce cognoscent, quàm perversè ac stolidè egerint, lædendo supremum Numen, ne offenderent abjectum vermem: mallendo displicere DEO, quàm inani socio; ac potiùs contristare curiam cœlestem quàm leviculum gregalem. Enimvero sola hujus dementiæ viva recordatio eórum mentem pudore, artus tremore complebit.

2. Tunc iratus judex, *indutus vestimentis ultionum*, (ee) *& tonans voce magnitudinis suæ*, (ff) vilibus his mundi mancipiis, quasi insultando, dicet: *ubi sunt dii vestri, in quibus habebatis fiduciam? surgant* nunc, *& opitulentur vobis, ac in hac necessitate* modò *vos protegant.* (gg) *Videte* nunc, *cui me assimila-*

(dd) Job. 20. v. 27. (ee) Isa. 59. v. 17.
(ff) Job. 37. v. 4. (gg) Deuteron. 32. v. 37.

assimilaveritis, & adæquaveritis; (hh) imò & postposueritis. Fatemini, *quòd ego sim solus, & non sit alius præter me.* En! *si acuero ùt fulgur gladium meum, & arripuerit judicium manus mea,* quis vestrûm resistet mihi? *Reddam ultionem, inebriabo sagittas meas, & gladius meus devorabit? & non erit, qui vos de manu mea possit eruere.* (ii) *Ita tonabit ille in voce sua mirabiliter.* (ll)

O infelices! ad ista quæ vobis tunc mens erit? cùm derelicti ab illis ipsis, quorum amore Divinam Majestatem toties irritâstis: cùm *DEUS quasi tumentes super vos fluctus* ingruet, (mm) & toto furoris pondere in vos solos incumbet: *cùm is quasi leo in spelunca sua* (nn) vos deprehensos obruet, omni ope destitutos: cùm nec Sol justitiæ Christus, nec Lunæ jubar Maria, nec Cœlites stellæ ampliùs dabunt lumen suum, nec radiis gratiæ lucebunt vobis; quæ, inquam, tunc de respectu

&

(hh) Isa. 46. v. 8. (ii) Deuter. 32. v. 41. & seq. (ll) Job. 37. v. 3. (mm) Job. 31. v. 23. (nn) Psal. 10. v. 9.

& judiciis hominum sensa fovebitis? quo illa loco per vitæ cursum habuisse optabitis?

Præcipuè quando videbitis, quod illi ipsi, quorum deliramenta vitæ vestræ erant regula, hæc audientes, *& videntes, turbentur timore horribili, dicentes intra se: ergo erravimus à via veritatis, & viam Domini ignoravimus?* quando cernetis, quòd hi ipsi, quorum modò cavillationes vobis sunt vivendi norma, quòd, inquam, hi ipsi *pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritûs gementes*, exclament: en! hi sodales olim ac contubernales nostri, *hi sunt, quos aliquando* ob morum modestiam virtutisque studium *habuimus in derisum & in similitudinem improperii! Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce! quomodo computati sunt inter filios DEI, & inter sanctos sors illorum est.* (oo) Nunc *fulgent quasi splendor firmamenti, & quasi stellæ in perpetuas æternitates.* (pp) O! quàm prudenter egerunt;

(oo) Sap. 5. v. 2. & seq. (pp) Dan. 12. v. 3.

runt, quod nostras irrisiones irriserint, & contemptiones contempserint. Hos, inquam, talia ululantes, & cum gemitu vociferantes, cùm perceperitis, quam tunc opinionem de illo vestro idolo: *quid dicent homines?* concipietis? quid fecisse desiderabitis? O quis pavor tunc, qúæve tristitia animum occupabit?

3. Verùm nihil hæc sunt, comparata illi consternationi, qua exanimabimur; cùm Divinus Judex opere ipso complebit illas terribiles minas, quas in Evangelii libris intentavit his verbis: *qui negaverit me coram hominibus, negabo & eum ego coram Patre meo, qui in cœlis est.* (qq) Item: *qui me erubuerit & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet; cùm venerit in majestate sua & Patris & sanctorum Angelorum:* (rr) quod enim respectui humano mancipati, Christum suo modo negent, & erubescant, §. 3. ostensum est. Proin, secundùm relatum suprà oraculum, Servator noster tales illo judi-

(qq) Matth. 10. v. 33. (rr) Luc. 9. v. 26.

judicii tremendo die coram universo orbe, Angelis, Cælitibus ac æterno Patre pariter negabit, ac erubescet.

Quid autem horribilius, quàm frigida mente ignorari ab illo, à quo solo nostra tunc salus dependet? quid terribilius, quàm pudori esse illi, à quo nostra omnis gloria promanat? Nam quorum nos pudet, hos & nauseamus, & ab iis oculos avertimus. Quid autem funestius, quàm Christum suos illos misericordes oculos à nobis avertere? quàm Divinum illud Cor nauseare nos, & abhorrere? Ah! *à facie frigoris ejus quis sustinebit?* (ss) præcipuè si pulsantibus, & ad cœlestes nuptias admitti petentibus, clausa januâ, reponat triste illud: *nescio vos;* (tt) aut illud alterum: *non novi hominem*, (uu) benevola scilicet illa ac plena amoris scientia, qua fideles sibi mentes discernere consuevit. Hac ergo plaga ne & tu puniaris, *time DEUM*, (xx) ejusque judicium metue; hujus

(ss) Psal. 147. v. 17. (tt) Matth. 25. v. 12.
(uu) Matth. 26. v. 72. (xx) Prov. 3. v. 7.

enim conſtans metus ſaluberrima eſt contra hunc, quem impugnamus, morbum panacea.

Igitur conjecto in cordis intima acri obtutu, ſeriò inquire, 1. an non etiam tu illorum ex numero ſis, qui (immemores illius Sapientis effati: *qui timet hominem, citò corruet*) (yy) *illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor?* (zz) id eſt, an non etiam tu ex vano aliis diſplicendi reſpectu plurima commiſeris mala? & plura itidem omiſeris bona ex futili iisdem placendi pruritu? Ita ſi eſt, *ſcito, quod pro omnibus his adducet te DEUS in judicium.* (aaa) Proin in tempore te emenda, illasque occaſiones deſigna, in quibus huic malo ope examinis particularis occurrere ſtatuis.

2. Sedulò indaga, an fide viva credas ſequentia æternæ Veritatis oracula? ſcilicet, *nemo poteſt duobus dominis ſervire*, Chriſto ſcilicet, & mundo: (bbb)

(yy) Prov. 29. v. 25. (zz) Pſal. 52. v. 6. (aaa) Eccl. 11. v. 9.

(bbb) *quicunque voluerit esse amicus hujus sæculi, inimicus DEI constituitur.* (ccc) item hæc: *si hominibus placerem, Christi servus non essem.* (ddd) *DEUS dissipabit ossa eorum, qui hominibus placent.* (eee) Adeoque examina, an non aulico ritu aliis inserviendo, abjectè blandiendo, verbis adulando, sæcularium mores imitando, hominum favorem aucuperis? O miser! quod tam solicitè quæris, *lanugo est, quæ à vento tollitur: spuma gracilis est, quæ à procella dispergitur: fumus est, qui à vento diffunditur.* (fff) Similis Æsopico cani es, qui rem perdis, ut umbræ inhies: qui æterna negligis, ut transitoria nundineris. Ah! tandem aliquando aliorum damnis sape.

3. Disquire præterea, an practicè tibi persuasam habeas veritatem illius enunciati, à Christo nobis per Matthæum & Lucam intimati: nempe *nolite timere eos, qui occidunt corpus; ani-*

(bbb) Matth. 6. v. 24. (ccc) Jac. 4. v. 4. (ddd) Gal. 1. v. 10. (eee) Psal. 52. v. 6. (fff) Sap. 5. v. 15.

mam autem non possunt occidere; sed potiùs timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam. (ggg) item: *dico autem vobis amicis meis: ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent ampliùs, quid faciant. Ostendam autem vobis, quem timeatis: timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete.* (hhh)

Proin vide, an fixum animo sedeat, potiùs omnium odia incurrere, sociorum ludibriis exagitari, ab eorum conventiculis excludi, illorum dicteriis vexari, ab ipsis contemni, & vitari; quàm supremum Numen veniali noxa offendere? Quid hæres? . . . Audi monentem Ecclesiasticum: *pro his omnibus ne confundaris, & ne accipias personam, ut delinquas* propter eam. (iii) Nam *maledictus, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum;* ita, ut ejus gratia lædat Creatorem. (lll)

4. Dem-

(ggg) Matth. 10. v. 23. (hhh) Luc. 12. v. 4. & seq. (iii) Eccli. 42. v. 1. (lll) Jerem. 17. v. 5.

4. Demum inquire, an ægrè feras, si alii frigidè tecum agant, tuum consortium fugiant, teque aversentur? Hoc ipsum est, ais, quod mentem adeò urit, cruciatque. Verùm quid doles, quòd non fallaris? . . . quòd plurimorum fons tædiorum tibi obturetur? . . . quòd non fruaris illa societate, qua caruisse olim gaudebis?... *Nunquid non DEUS tibi melior est, quàm decem* (mmm) ejusmodi gregales? imò quàm milleni tales erronei, inconstantes, vitiosi sodales? Lætare potiùs, quia *odit te mundus*; signum id est, quod *de mundo elegerit te* Christus; *si enim de mundo esses, mundus utique, quod suum erat, diligeret; quia autem de mundo non es, propterea odit te mundus.* (nnn) Proin gaude.

Præterea *scito, quia Christum priorem te odio habuit;* (ooo) *non est autem discipulus supra Magistrum.* (ppp) Exulta igitur, quod à mundo eodem, quo

(mmm) 1. Reg. 1. v. 9. (nnn) Joan. 15. v. 19. (ooo) Ibid. v. 18. (ppp) Matth. 10. v. 24.

ille, habearis modo. Denique transitorii hi, quibus tepidi te afficiunt, despectus abunde compensantur genuina illa ac æternùm duratura existimatione, quam de te probi in terris, ac Beati in cœlis concipiunt, semperque fovebunt. Quin imò illi ipsi quoque irrisores tui sub finem vitæ & orbis te propterea encomiis efferent.

Igitur licèt ejusmodi ludificatoribus *frons ærea sit;* (qqq) tamen *ne timeas eos, neque metuas à facie eorum:* nam dabit tibi DEUS (modò heroicos surgas in ausus) *faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum.* (rrr) Primis solummodo diebus eorundem cavillationes cataphracto pectore immotus excipias, oportet, & vicisti. Hi ipsi postea laudum tibi thura litabunt; & quem priùs sibi similem vilipenderunt, nunc dissimilem reverebuntur.

At oppones: non solùm agitur hìc de fugiendis hominum irrisionibus, sed

(qqq) Isa. 48. v. 4. (rrr) Ezech. 3. v. 8.

sed de vitandis, quæ aliàs inferent, damnis. *Timendum enim, ne irati noceant.* Verùm reponit Augustinus, *non nocebunt homines, nisi permittat DEUS. Dein isti semper habent voluntatem nocendi; nec si placentur, nec si rogentur, desinunt nocere velle. Hoc enim malevolentiæ illorum proprium est. Ergo quid facies eos colendo, nisi ut offendas illum, quo offenso in istorum potestatem daberis. Et qui tibi nihil possent facere, illo placato; facient tibi quidquid volent, illo irato.* Hæc Africæ lumen Augustinus. (sss)

Itaque Pauli monitum secutus, obverso tergore *totum tibi mundum crucifige*, (ttt) ridentem ride, spernentem sperne, & contemptis ejus judiciis, non nisi Divinum metue. Cura, *ut non jam desideriis hominum, sed voluntati DEI, quod reliquum est in carne, vivas temporis.* (uuu) Secus, væ tibi! nam *horrendum erit incidere in manus DEI viventis;* (xxx) tum quia *non est*

(sss) Enar. 2. in Psal. 26. (ttt) Gal. 6. v. 14. (uuu) 1. Petr. 4. v. 2. (xxx) Hebr. 10. v. 31.

sanctus, ùt est Dominus, qui ejusmodi vanos timores infinito odio aversatur; tum quia *non est fortis, sicut DEUS noster;* (yyy) ipse enim est, *qui vitæ & mortis habet potestatem: qui deducit ad inferos, & reducit:* (zzz) *& non est, qui effugiat manum ejus.* (w) Igitur hujus solius judicium time; hominum verò judicia contemne; & gemino hoc antidoto munitus, respectum omnem humanum facili negotio fugabis.

(yyy) 1. Reg. 2. v. 2. (zzz) Sap. 16. v. 13. (w) Tob. 13. v. 2.

CAP. VI.

CAPUT VI.

DE SOCORDIA IN SURGENDO.

SIcut teste Ecclesiastico *vinum moderatè potatum, exultatio est animæ, & sanitas corpori:* contrà verò *multum potatum, est amaritudo animæ, atque irritationem, iram, & ruinas multas facit.* (a) sic quoque somnus temperanter admissus, lassos artus mentemque reficit; ultra præscriptos autem limites productus, non solùm meritorum augmento, obtinendæque perfectioni vehementer incommodat; sed insuper plurima in animum mala fæcundo comitatu inducit. Hanc enim somniculosam in surgendo inertiam uberem esse scaturiginem, ex qua innumeri per diem defectus perenni serie profluunt, æquè tristis ac frequens experientia docet. Ut proin inter perniciosa virtutis solidæ obsta-

(a) Eccli. 31. v. 36. & seq.

cula non ultimum ſibi locum hæc ſegnities meritò vendicet. Ejus ergo fugam ut efficaciùs perſuadeam, I. illius malitiam, II. vilitatem, III. damna ob oculos breviter ponam; probando, eam eſſe peccatum, & quidem turpe, valdeque noxium.

§. I.

Eſt Peccatum.

I. *Probatur id à pari.*

I. PRimum quod attinet, inprimis hæc in ſurgendo pigritia eſt piaculum inter minora non minimum. Conſtat id luculenter inducto à pari argumento. Nam auctore Auguſtino, cui gemina Eccleſiæ lumina (b) ſuffragantur, *quoties aliquis in cibo & potu plus accipit, quàm neceſſe ſit, ad minuta peccata pertinere noverit.* (c) Ergo etiam quoties aliquis ſomno ampliùs tribuit, quàm corporis habitudo poſtulat, levi errato ſe obſtringet.

Si

(b) S. Gregor. M. lib. 30. Mor. c. 7. S. Thom. 2. 2. q. 148. a. 1. & 4. (c) Aug. Tom. 10. Serm. 4. in die animarum.

Si enim Angelico Doctori manifeſtum eſt, *inordinatum edendi appetitum eſſe peccatum;* (d) qua prærogativa minùs ordinata dormiendi appetentia à ſimili culpa eximetur? præſertim cùm par utrinque militet ratio. Nam ſecundùm Aquinatem *omnia delectabilia, quæ in uſum hominis veniunt, ordinantur ad aliquam hujus vitæ neceſſitatem, ſicut ad finem.* (e) Nota, *omnia delectabilia*: ergo etiam ſomnus. Ergo ordo & finis à natura inſtitutus exigit, ut is ſolùm admittatur propter neceſſitudinem. *Neceſſitas enim hujus vitæ* (verba ſunt S. Thomæ) *eſt regula delectabilium, quæ vult, ut præcisè tantum eis utamur, quantum neceſſitas hujus vitæ requirit.* (f) Igitur qui neglecta hac regula tamen ultra quàm neceſſe ſit, ſopori indulget, finem naturæ & ordinem pervertit: contra legem rationis agit; proinde peccat.

Dein *comedere, & bibere ob ſolam voluptatem* etiam moderatè, eſt levior offen-

(d) Loc. ſuprà cit. (e) 2. 2. Q. 141. a. 6.
(f) Ibidem.

offensa DEI, ùt fusè & doctè probat Cardenas, commentando in propositionem VIII. ab Innocentio XI. damnatam; (g) ubi ostendit, solum hoc membrum, reliquis etiam omissis, fuisse motivum sufficiens, illam thesin nigro theta notandi. Quis ergo inficias ibit, par delictum esse, diutius dormire ob solam voluptatem? Licèt enim ejusmodi dormitatores suæ huic desidiæ aliud semper & aliud palliolum prætexere consueverint, tamen solam rei suavitatem unicum eis incitamentum esse, ipsa nostrî proditor conscientia clamat, ùt infrà pluribus ostendetur. Itaque quàm parum *appetitus naturalis edendi*, æquè parum appetitus naturalis dormiendi *licitè suis actibus fruitur*, blandimentum inde ortum ultimò ac unicè spectando; cùm ob rationum paritatem utraque assertio, utpote sub illa octava virtualiter (ùt ajunt) contenta, æquali fulmine Vaticana ex arce perculsa sit, atque proscripta. Dixi: *fruitur*; nam somni dulcedine licet quidem *uti*, ad altio-

(g) Dissertatione 8. c. 1. a. 3. q. 2.

altiorem eam finem velut medium dirigendo; non tamen *frui*, in ea sola quasi in fine quiescendo. Quo sensu cuidam Epicuri alumno Seneca reposuisse fertur: *tu voluptate frueris, ego utor.* (h)

II. Nec opponas, vacare noxa, audire musicam, olfacere florem, venari, ambulare ob solam delectationem his actibus propriam; adeoque nec malum fore, diutius hærere in lecto ob solam, quæ hanc inertiam comitatur, sensuum illecebram. Nam inprimis etiam hanc propositionem, tanquam in illa thesi octava virtualiter contentam, pariter ab Innocentio XI. damnari, mordicus contendit Cardenas, hanc suam opinionem tutans auctoritate S. Thomæ. (i) Sed demus, verum esse, quod objicitur; tamen adhuc lata inter meam & allatam positionem intercedit diversitas.

II. *Respondetur oppositioni.*

Nam

(h) Seneca libro de vita beata. (i) Dissertatione 8. c. 1. a. 3. q. 2. n. 37. & 38.

Nam enarratæ actiones à natura ad hunc finem ſunt ordinatæ, ut animum relaxent. Unde ſequitur, quod illa oblectatio, quæ in hac animi relaxatione conſiſtit, (tanquam intentus à natura finis) ratione ſui appeti poſſit. Contrà verò illud, ex ſomno uti & ex cibo proveniens, oblectamentum eſt inſtitutum, ut ſolùm ſit medium, quo alliciamur ad noſtras vires per moderatum eorundem uſum conſervandas. Proin inverteretur ordo naturæ, ſi hujusmodi lenocinia directè & ratione ſui quærerentur; ſiqúe in annexo eis blandimento tanquam in fine ſiſteretur.

Accedit, quod jucunditas ex muſica reſultans, ad ſuperna mentem potiùs elevet, quàm inde abſtrahat; cùm è contrario prolixior ſomnus brutis ſimiles nos, totosque hebetes reddat. Unde concluditur, inter non neceſſarium ſoporem, ac relatas exercitationes ingens intervenire diſcrimen, & ex poſteriorum honeſtate minimè inferri poſſe innocentiam prioris; adeo-

adeoque ſocordiam in ſurgendo non minus piaculum eſſe, ac intemperantiam in comedendo.

III. Præterea qui ſponte & *temerè* ponit ejus generis actionem, quam providet turpiſſimis tentationibus lubricam occaſionem præbituram, peccat. Ita pronunciant communi aſſenſu omnia Theologorum ſubſellia. Jam verò talia ſtragulorum mancipia per ſuam hanc præcipuè inſomnem in toro moram ſtudioſè dant anſam variis imaginibus, & quidem fœdiſſimis, periculoſiſſimis; idque triſti experientia docti optimè norunt. Ergo peccant; ſaltem ſi ſit periculum conſenſûs; & quidem lethalem in modum, ſi illud omnino proximum exiſtat; leviter verò, ſi minùs propinquum id ſit. III. *Probatur idem ratione.*

Denique contumax hæc & lenocinans in ſtrato pigritia eſt cauſa deliberatè & quidem præter jus & fas temerariè volita effectûs leviter mali, nempe diurni illius teporis, qui præcipu-

cipuas, imò omnes totius diei functiones vitiat, destruit, pessundat. Ergo etiam illa ejusdem malitiæ rea erit. Cuicunque ergo DEUS est cordi, ejusque offensa horrori; quicunque ea credit, quæ de malignitate, effectibus & pœnis peccati venialis in prima commentatione perpendimus, is toto cordis affectu malitiosam hanc in surgendo socordiam fugiat, & detestetur.

§. II.

Est peccatum vile.

I. *Tales sunt aliis ludibrio.*

I. NEc minor hujus ignaviæ vilitas est. Nam ejusmodi Endymiones & lucifugæ talpæ à suis moderatoribus propterea acriter reprehenduntur, ab æqualibus non sine sarcasmis carpuntur, ab inferioribus non rarò in faciem vilipenduntur, & ab ipso tandem dœmone, quod rei caput est, turpiter ludificantur; utpote qui singularem quandam in illorum phantasiam, humores & caput potestatem

exer-

exercet, non adeò abſimilem illi, qua in circumſeſſos dominatur; illud pro ſuo libitu, neſcio, qua gravedinoſa torpedine & ſomniculoſa membrorum laſſitudine plumbeum reddendo, ac inſtar vilis beſtiæ ſoporis capiſtro culcitræ affigendo, ita ut hi tenebricoſi veſpertiliones jure ſimiles dicantur illi mulieri, *quam alligaverat Satanas decem & octo annis* adeò miſerè, ut *inclinata omnino non potuerit ſurſum reſpicere.* (a)

Nam etiam tales ab orci genio ita pulvino agglutinantur, ut ad hanc communem cum feris illecebram toto homine incurvati, nequeant mentem in altum attollere, quæ unà cum corporis trunco plumis immerſa ita ſtertit, ut ad tractanda dein cœleſtia inhabilis reddatur; idque *decem & octo* non rarò *annis*, imò totius vitæ curriculo: vitioſa conſuetudine in naturam degenerante; non ſine magno animæ rationalis probro, quæ infra ſuam dignitatem fœdè depreſſa vileſcit:

(a) Luc. 13. v. 11. & 16.

nec ſine inuſta partæ exiſtimationi macula, quæ propterea paſſim & meritò vapulat.

II. *Sibi probro.* II. Quid enim indignius, quàm eſſe vile mancipium ſomni, qui nos brutis æquales reddit? eſſe mediaſtinum illius carnis, quæ non niſi ſaccus ſtercorum eſt & eſca vermium? eſſe probrum illius abjectæ commoditatis, cujus nos poſtea vigiles pudet? eſſe ludibrium cacodœmonis, qui omnia noſtra, quæ in contrarium tam firmiter concepimus, propoſita uno rhonco aut halitu difflat, & probroſo riſu noſtram hanc inconſtantiam exſibilat? Profectò ſola rei hujus vilitas honeſtæ indoli culcitroſæ hujus inertiæ horrorem incutere deberet.

§. III.

Et valde noxium.

I. *Vitiat orationem.* I. DAmna verò, quæ ex mala hac humiliique deſidia ſcaturiunt, gravia ſanè & valde noxia ſunt. Primus

mus hujus peſtis effectus eſt malus meditationis ſucceſſus; dum enim alii luminum Patri fervidæ orationis tributum ſummo mane flexis genibus perſolvunt, talis in toro ſtertens, turpi ſocordiæ vecors indulget.

Aut ſi etiam, timore humano ſtragulis extractus, in odeo comparet, ſolùm corpore non animo præſens eſt; cùm carnei inſtar trunci pulpitum pleno pondere premens, vel ſomniculoſus toto ſe langueat, vel innumeris evagationibus in diverſa diſtractus, hinc inde per domum, urbem & orbem vagetur. Quàm magna autem ſint, quamque lethalia remiſſæ aut omiſſæ meditationis detrimenta, ex ſecundæ partis capite 2. patebit.

II. Alter inde proveniens effectus eſt tepor, ille juratus amoris divini hoſtis, virtutum pernicies, & vitiorum fons, qui in omnes totius diei actiones ſeſe inſtar veneni diffundens, cunctas corrumpit; efficitque, ut illis ipſis actionibus quotidianis, qui- II. *Inducit tepor.*

bus ingentes gratiæ & gloriæ thesauros nobis promereri potuissemus, non nisi culpas accumulemus & pœnas, in lustrali ergastulo diutissimè luendas.

Lerneæ huic hydræ sua pariter incunabula debent distracta sacræ Hostiæ litatio, oscitans precum sacerdotalium recitatio, solitudinis horror, & fugata mentis collectione, continua sui effusio in externa; quam ponè pleno agmine sequuntur neglectus operum pœnitentiæ, intemperantia in cibo & potu, effrœnis linguæ mordacitas, morum laxitas, scurriles joci, sensuum libertas, laborum fuga, & tædium disciplinæ. Porro quàm periculosa, quámque perniciosa hæc mala sint, abunde liquet, partim ex jam dictis, partim ex adhuc dicendis.

III. *Impedit gratias.*

III. Denique ex hac dormiendi lascivia emanat illa illustrationum, supernorumque impulsuum negatio: illa divinæ & specialis circa nos Providentiæ subtractio, qua nos DEUS aliàs fovisset, tutasset, rexisset, & velut

lut inſertos paterno ſinui infantulos, gerulo amore *à ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano* (a) innocuos ſervaſſet. Unde fit, ut provida hac & ſingulari tutela nobis ſubtracta, in graves poſtmodum perturbationes, cum Superioribus diſſenſiones, cum ſociis altercationes, fœdasque carnis tentationes prolapſi, à ruina in lethalem noxam proximè diſtemus.

Præter frequentem experientiam hujus veritatis luculenta nobis probatio eſt Sulamitis illa, cujus fatum cœleſtis epithalamii carmine narratur. (b) Hæc, quia non ſtatim, ac audita eſt *vox dilecti pulſantis*, eidem, excuſſo promptè ſomno, fores aperuit, allatisque variis obtentibus, pigras in lecto moras traxit, hanc ſuam negligentiam multiplici pœna expiare debuit. Nam, licèt poſtea facti pœnitens tamen *ſurrexerit, ut aperiret dilecto ſuo, & peſſulum oſtii ſui* etiam re-

(a) Pſal. 90. v. 6. (b) Cantic. 5. v. 2. & ſeq.

moverit; tamen *ille* jam *declinaverat*, *atque transierat*.

Cœlestem quidem Sponsum instituta meditatione mox solicita *quæsivit*, sed *non invenit*: *vocavit*, sed *non respondit ei*; tepore toto nisu obstante. Inde per mentis dissipationem in creaturas effusa, & solitudinis impatiens foras egressa, *civitatem circumivit*, ut à filiabus Jerusalem quicquam solatii emendicaret. Sed à *custodibus murorum* (nempe dœmonibus, qui assiduè *circumeunt*, *quærentes*, *quem devorent*) (c) percussa, & vulnerata, ipso denique pallio suo privata fuit; per quod quidam Interpretes gratiæ stolam denotari autumant. En! in quas miserias catenata serie sensim animam hæc segnities præcipitem det. Ut proin verissimum sit, detestabilem hanc in surgendo inertiam 1. esse leve peccatum, 2. & quidem valde abjectum & vile, 3. summeque noxium; adeoque omni horrore aversandum.

IV. Nec

(c) 1. Petr. 5. v. 8.

IV. Nec dicas, ſtomachi infirmitatem, capitis gravedinem, membrorum laſſitudinem inducere manifeſtam longioris ſomni neceſſitatem, quæ hanc actionem non ſolùm ab omni labe immunem reddat, ſed inſuper cohoneſtet. Nam, licèt certum ſit, quod ſubinde poſſit dari vera neceſſitudo ſopori ultra conſuetum tempus indulgendi; tamen certum pariter eſt, quod ab amore proprio ſæpiſſimè depingatur ùt neceſſitas, quod reipſa non eſt niſi cupiditas: quod nobis perſuadeamus eſſe invaletudinem corporis, quod tamen non eſt niſi torpedo mentis: quodque videtur eſſe ſpirituum defectus, ſolùm ſit teporis effectus; ita ut etiam his dici poſſit: *febris tua pigritia eſt*: morbus tuus blandiens ſenſibus mollitia eſt. IV. *Occurritur effugiis.*

Ne igitur in re tanti momenti, à qua multum dependet noſter in virtute profectus, à ſubdolæ carnis appetitione fallaci prætextu nequiter decipiamur, allatas ſuprà rationes pondere Sanctuarii obiter librabimus. In-

primis enim prætensa ægrotatio illa sæpissimè non nisi imaginaria, solùm in phantasia existens, imbecillitas est. 2. Sæpe, licèt vera sit, notabilis tamen non est, sed solummodo levis proin negligenda potiùs quàm curanda. 3. Subinde tantùm tentatio dœmonis est, humores vehementiùs commoventis, & febricitantes commotiunculas imitantis; uti expertos novimus S. S. Pachomium, Theresiam, & alios quamplurimos. Hæc autem ægritudo non pellitur dormiendo; sed generosè surgendo, & torpidam carnem acri flagello, inflictis aliquot ictibus, excitando.

Sed demus non fucata nos, sed vera laborare sanguinis intemperie; quid autem remedii afferet inquieta illa & anxia quadrantis horæ aut mediæ spatio producta in grabato mora? aut si depelli hæc incommoditas brevi adeò cunctatione potest, certè notabilis non fuit. At repones: atqui nondum est fugata, qua incommodor, molestia; indigerem adhuc vel maximè longiori quiete. Verùm ain', si

ſi necdum diſpulſa capitis gravedine, tamen quadrante aut media ſeriùs è ſtrato te proripis ex reſpectu hominum; cur idem facere non poſſis quadrante aut media citiùs ex amore DEI? Mirum certè, majorem vim curandi ejusmodi morbos ineſſe reſpectui humano, quàm amori divino.

Sed oppones: manè expergefactus ſudore totus diffluo. Sudore autem madidum mox ſurgere in cubiculo præſertim frigido humidoque, officit ſanitati. At contrà eſt, vel hic ſudor, protracta in lecto mora, denuo per poros intra cutem ſe recipere permittitur; vel, ut continuet, procuratur? Prius obeſt valetudini; proin id ne fiat, potiùs is ſtatim abſtergendus erit. Poſterius autem ſurgendi non tollit difficultatem; adeoque nec longiori intervallo decumbendi inducit neceſſitatem. Nam etiam hic denuo prolectus ſudor aliquando tergendus erit; quia aliquando cervicali valedicendum erit; cubiculum autem media quinta ex. gr. erit æquè frigidum

ac hora quarta. Quod ergo faciendum media quinta, cur fieri nequeat hora quarta? ſudor, qui detergetur paulò tardiùs, cur abſtergi nequeat paulò citiùs?

Dices: hæc ipſa in ſudando mora conducit ſanitati. At nocet virtuti. Ergóne Religioſo, qui vi regulæ in omnibus quærere tenetur continuam ſui afflictationem, potior ſit cura carnis quàm animæ? Modò jactanti hiatu cunctis Europæ commodis terga vertere, Indicisque miſeriis nos mancipare optamus; & paulò poſt vel pulvinum deſerere metu umbratilis ægrimoniæ pigramur. Nos hodie DEO ad ſubeundos labores Apoſtolicos prodigo vitæ affectu plenis buccis offerimus; & altero mox die timore levis moleſtiæ nos ſtragulis immergimus. Vah! plumeos athletas, & orco (ſi Superis placet) formidandos gigantes, utpote quos dœmon ſola culcitra, injectis ſolummodo plumis ſternit, ſtratoque affixos quaſi catenatos tenet. Ex his patet, quàm

potens

potens ratio protrahendi ſoporis plerumque apud nos corporis infirmitas ſit.

Ejusdem furfuris eſt illud effugium, quo alii obtendunt, ſe ad meditandum, & ſtudendum inhabiles fore, niſi diutius dormitando, cerebri vapores diſſipent. Nempe non eſt forma, quam protheus ſui amor non induat: non dolus, quem ſubdolus hic Sinon non excogitet, ut miſerè deceptis, etiam ſub larva pietatis imponat. O bone! ſurgendi alacritas has nebulas omnium optimè ſolvit, & fugat; prolixior ſomnus eas potiùs auget, & denſat. Dein ſi tamen ſtertendum eſt, mea pace ſalva oratione, apto tempore, bonis avibus ſellæ inſidens dormias. At meliùs id fieri in toro ais; equidem id ibi *commodiùs* fieri conceſſero; *convenientiùs*, nego, & pernego.

Nam diem auſpicari à peccato veniali cum neglectu excitantis gratiæ, cum contemptu remordentis conſcien-

tiæ,

tiæ, cum deſpectu Chriſti Euchariſtici ad ſui adorationem invitantis; idque agere Religioſum, qui à regula ad primum æris campani ſonum eò, quò vocatur, ſe conferre jubetur; imò & ſacerdotem, qui illo adhuc die cœleſtem victimam litaturus, ipſos etiam angelos cordis munditia ſuperare deberet; hos primitias diei amori proprio, commoditati, diabolo conſecrare; hos tot gradus gratiæ & gloriæ ſomniculoſæ torpedini immolare: hos vilia grabati mancipia dæmonisque ludibrium eſſe; & ſtertere in lecto eo ipſo tempore, quo DEUM aſtra matutina jam laudant: quo ejus ſocii Sanctiſſimum jam adorant: quo mundani quoque homines vel in templis ſacrificio jam interſunt, vel in ſuis officinis labori inſiſtunt; hoc certè tam vitioſa, vilis, & noxia virumque religioſum, eumque ſacerdotem adeò dedecens res eſt, ut verba me deficiant, quibus hujus vitii malitiam, fœditatem, & damna dignis coloribus depingam; & quæ jure meretur, ut *Dominus*, immiſſa tali Endymioni in-

firmi-

firmitate, *univerſum ſtratum ejus in lectum doloris* vertat. (d)

Proin ſi tua tibi ſanitas, perfectio, ſalus cordi eſt, *hora ſurgendi ne te trices;* (e) ſed ſtatim, alacriter, religioſè culcitam abjice, ac inſuper habito omni præſertim valetudinis obtentu, cum Juvene innocentiſſimo Joanne Berckmanno è Societate JEſu etiam tu ſequens propoſitum concipe: O lucis conditor DEUS! *diſrumpar potiùs, quàm vel minimam ordinationem aut regulam* etiam illam, quæ manè è lectulo mox exilire jubet, *voluntariè transgrediar. Potiùs amittam omnem ſanitatem, quàm ob illam ullam regulam* etiam hanc *prætergrediar.* (f) Sic manè ſomnum conſtanter abrupiſſe, multam ſub vitæ occaſum animo quietem afferet.

Igitur *non dormiamus ſicut & cæteri, ſed vigilemus;* (g) nam *miſericordia DEI*

(d) Pſal. 40. v. 4. (e) Eccli. 32. v. 15. (f) Hermannus Hugo in vita Berckmanni p. 4. fol. 255. (g) 1. Theſſal. 5. v. 6.

DEI est quasi nubes matutina, & quasi ros manè pertransiens, (h) quæ qui somniculosè neglexerit, *habitabit in siccitate;* (i) *obscurabunt eum tenebræ, & involvetur amaritudine.* (l) Proin *cùm manè vocem* excitantis campani æris *audieritis, nolite obdurare corda vestra;* (m) *sed expergiscimini. Ecce enim Dominus egredietur de loco, ut visitet.* (n) *Beati autem sunt servi illi, quos, cùm venerit, invenerit vigilantes*, (o) & orationi vacantes. *Amen dico vobis,* (p) *disponent ascensiones in corde suo, ut eant de virtute in virtutem; donec videant DEUM deorum in Sion.* (q)

§. IV.

Industriæ hanc in surgendo ignaviam pellendi.

UT conceptum animi propositum, omnes in surgendo moras præcipitandi, eò certiùs ac majori cum faci-

(h) Osee 6. v. 4. (i) Jerem. 17. v. 6. (l) Job. 3. v. 5. (m) Psal. 94. v. 8. (n) Isa. 26. v. 19. & 21. (o) Luc. 12. v. 37. (p) Ibid. (q) Psal. 83. v. 6.

facilitate mentisque promptitudine executioni mandemus, quasdam hunc in finem industrias hìc apponendas censui, quæ observandæ erunt 1. pridie ante somnum, 2. ipsa surgendi hora, 3. casu, quo pigritiæ victi cesserimus.

I. Prima industria pridie, antequam lecto nos committamus, in usum deducenda, suggeritur à S. P. Ignatio, (a) consistitque in eo, ut certam temporis horam determinemus, qua altero die plumis valedicere constituamus. Hoc autem animi decretum cumprimis firmum, efficax ac sacrosanctum sit oportet, cui contravenire nefas omnino sit. Hinc proderit sagaci oculo providisse illas difficultates, amoris proprii technas, prætextus ac remoras, quibus sub galli cantum, dum è strato prosiliendum esset, concepta pridie voluntas impugnari, convelli, ac labefactari consuevit. Multumque in rem conferet, mentem contra eas prævio munimine obarmâsse, dicendo v. g. ô Domine! crasti-

I. *Observanda pridie ante somnum.*

(a) In suo lib. Exercit.

craſtina luce hac N. hora, quamprimum ac ea fuerit audita, ſine ulla tergiverſatione me quantocyus è ſtragulis proripiam; idque etiam agere fixum eſt, licèt caput gravedinoſa torpedine langueat: aut ſtomachus inedia, faſtidio, repletione doleat: aut corpus ſudore madeat.

Firmando huic propoſito, plurimum roboris addet temporarium & levi ſub noxa obligans votum, quo quis ſe obſtringat, bidui, tridui vel octidui ſpatio ſomnum ultra præfixum tempus non producere. Incredibile dictu eſt, quantopere fidelis hic conatus Numinis liberalitatem provocet, eamque amica vi quaſi compellat, ut nobis, cum ſomniculoſo hoc dœmone luctantibus, victrici auxilio ſuccurrat. Juverit inſuper ſanctos Cœlites in rei teſtes advocare, tanquam futuros olim noſtros in extremo judicio accuſatores, ſi datam DEO fidem fefellerimus; unumque ex ipſis in ſingularem Patronum eligere, ſub cujus auſpiciis & in cujus honorem matutinam in ſurgen-

do

do deſidiam vincere ſtatuamus. Inſignem huic induſtriæ vim ineſſe, experientia docebit. Ita animo obfirmatus, Morpheo utrumque oculum ambasque aures indulge.

II. Alteram induſtriam ipſo diei diluculo adhibendam, inſinuat Eccleſiaſticus, dicens: *hora ſurgendi ne tentrices.* (b) Si enim tecum ipſo diſputare, ſi cum amore proprio altercari, ſi ſuggeſtas à dormiendi libidine rationes diſcutere vel tantillum occeperis; actum eſt de victoria. Palmam ſocordia indubiè referet. Victus, vinctusque culcitroſæ inertiæ certò in prædam cedes. Verbô: infelix Samſon eris, quem fallax hæc Dalila fœdè proditum, & cœleſti lumine orbum ſtygiis hoſtibus tradet illudendum. Ulyſſes nî fueris, qui ambas aures ſanctiori cera obturet, hujus ſyrenes blanditiis incantatus, procul dubio inter ipſas plumas conſtantiæ naufragium facies.

II. *Obſervanda ipſa ſurgendi hora.*

(b) Eccli. 32. v. 13.

Igitur audito æris campani ſono aut excitatoris voce, ſtatim ſine mora, excuſſa omni pigritia, generoſo ſaltu è lecto te proripe; idque age eadem omnino velocitate, qua inde proſilires, ſi maculoſus ſerpens aut venenatus ſcorpio in eundem irrepſiſſet; aut ſi vorax flamma ſubito incendio ſtragulam corripuiſſet. Nam, crede mihi, hæc quoque in ſurgendo deſidia, & ſtertendi cupiditas blandè quidem *ingreditur; ſed* etiam ipſa *in noviſſimo mordet ùt coluber.* (c) Hæc quoque ſcintilla eſt, quæ cyprios ignes, ſi non creat, ſaltem nutrit, & fovet. Cave ergo, ne & hæc tibi *vertatur in colubrum*, (d) & miſerè adurat innocentiæ ſtolam. Nam hac in mora periculum & quidem magnum eſt.

Ut autem eò alacriùs promptiúsque pulvinum abjicias, manè expergefactus, finge ab Angelo Cuſtode è ſomno te excitari, ac etiam tibi, ùt olim Petro, ab eodem dici: *ſurge velociter:* (e) tibi ultima vitæ illuxit dies: hodie

(c) Prov. 23. v. 32. (d) Exod. 7. v. 9.
(e) Act. 12. v. 7.

hodie *morieris tu, & non vives:* (f) *reddésque rationem villicationis tuæ.* (g) Reverentia Tutori Genio debita, vicinæ mortis judiciiíque memoria potens utique ſunt hac in re ſtrenuè ſe vincendi incitamentum; præcipuè cùm mera hæc figmenta non ſint.

Nam æthereus tui lateris Comes reipſa non rarò te excitat, & ad pellendam hanc torpedinem ſolerter animat. Quid enim aliud ſunt illi remordentis conſcientiæ aculei, illæ illuſtrationes & impulſus, quibus ad excutiendum ſoporem acriter impelleris, quàm bona ſuaſoris Angeli monita, piiíque hortatus? Præterea præſens hæc dies tibi ultima vitæ absque miraculo facillimè poſſet eſſe, & fors etiam erit. Quàm multi jam ſani vegetesque matutino tempore è ſtrato ſurrexerunt, canam ſenectutem ſomniantes, quibus tamen diei crepuſculum æternitatis diluculum fuit! Quod autem innumeris contigit, evenire etiam tibi poſſe, num inficias ibis?

(f) 4. Reg. 20. v. 1. (g) Luc. 16. v. 1.

Dein si etiam superstitem esse detur, lucis primordia DEO consecrasse certè non pœnitebit. Pudebit autem, & dolebit vel maximè, si conscientia tibi moribundo exprobrare queat, te prima ultimæ diei momenta peccato veniali conspurcasse, amori proprio sacrasse, turpiqúe socordiæ litasse. Pigebit, si quærenti olim Divino Judici: *ubi eras, cùm me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes filii DEI?* (h) reponere cogaris: in lecto, plumis immersus, turpiter stertebam. Igitur nunc age, quod tunc fecisse gaudebis, omisisse autem seriò quidem, sed serò nimiùm deflebis.

III. *Observanda casu, quo pigritiæ victus cesseris.*

III. Tertia denique industria illum concernit casum, quo quis pigritiæ victus cesserit, ac in spontanea consistit mulcta, quam propterea exolvendam quis sibimet ipsi imponit, proprius judex & ultor. Vindex hic in seipsum rigor tria præcipuè affert emolumenta. Inprimis in servando hoc animi decreto posthac nos cautiores red-

(h) Job. 38. v. 4. & 7.

reddit. Dein offenſum Numen citiùs placat. Denique ampliorem meretur gratiam, inpoſterum promiſſis ſtandi. In ſimilium caſtigationum exempla, Sanctorum hiſtorias evolvendo, paſſim incurres; easque varias pro re nata ac fini, qui intenditur, aptiores perſpicax fervor facilè inveniet, ſuggeretque.

Indaga proin, an non etiam tu *hora ſurgendi te trices?* (i) & *ſicut oſtium vertitur in cardine ſuo*, ita etiam tu *piger in lectulo tuo* te volutes? (k) num non etiam tu in tui perniciem ingenioſus ſis *ad excuſandas excuſationes in peccatis;* (l) id eſt, ad confingenda varia, quibus tuam hanc inertiam pallies, effugia? Decerne, an & qua ratione ſuppeditatas hactenus induſtrias in uſum deducere ſtatuas? ſi unquam aliàs, nunc profectò magnanimum te cupio. Secus time, ne ultor DEUS tuam hanc ſocordiam caſtigaturus, immiſſo tibi morbo, diutius quàm optes, te culcitæ affigat.

(i) Eccli. 32. v. 15. (k) Prov. 26. v. 14.
(l) Pſal. 140. v. 4.

Et tandem *quousque dormies piger?* En! *nisi consurgas è somno tuo, veniet tibi quasi cursor egestas* mentis, *& mendicitas* spiritûs *quasi vir armatus.* Si verò impiger fueris in surgendo, *veniet tibi ùt fons messis virtutum, & egestas animæ longè fugiet à te.* (m) *Sique cor tuum tradideris ad vigilandum diluculo ad Dominum, & in conspectu Altissimi aperueris os tuum in oratione; ipse spiritu intelligentiæ replebit te, & diriget consilium tuum.* (n) Nam, *qui manè vigilaverint ad me, invenient me,* dicit Dominus. (o) Contrà verò si stragulis exire tardaveris, cœleste manna æquè parum ac illi segnes Israëlitæ reperies, & cum illa Sulamitide cœlestem Sponsum jam declinasse dolebis. Proin *surge, qui dormis;* secus, horâ meditationis *non illuminabit te Christus.* (p) *Quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem cœlestem,* & in templo *ad ortum lucis DEUM* Eucharisticum adorare. (q)

CON-

(m) Prov. 6. v. 9. Item 26. v. 33. (n) Eccli. 39. v. 6. & seq. (o) Prov. 8. v. 17. (p) Eph. 5. v. 14. (q) Eccli. 16. v. 28.